
ODDONIS DE COMITIBUS E SOC. IESU SILUAE RHETORICAE...

Oddone : de' Conti



ODDONIS DE COMITIBVS E SOC. IESV

SILVÆ RHETORICÆ



HOMERVS PER ALLEGORIAM EXPLICATVS.

Pars Prima,







ROMAE
Typis Hæredum Corbelletti, 1646.

SVPERIORVM PERMISSV.



CAROLVS SANGRIVS SOC. IESV
Vicarius Generalis.

CVm opus inſcriptum *Silua Rhetorica* P. Oddonis de Comitibus noſtræ Societatis Sacerdotis, & Collegij Pœnitentiariorum apud S. Petrum Rectoris, tres eiuſdem Societ. Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ita Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D. Viceſgerenti, ac Reuerendiſs. P. Magiſtro S. Palatij videbitur. Datum Romæ 7. Nouembris 1645.

Carolus Sangrius.



Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sacri Pal. Apoſtol.

A. Sacratus Episc. Comaclen. Viceſg.

EGo Ioannes Victorius Roſcius, ſeu Ianus Nicius Erythræus, Reuerendiſſimo Sac. Palatij Magiſtro ita iubente, legi præſens opus P. Oddonis de Comitibus è Soc. Ieſu, tum ſoluta oratione, tum verſibus ſcriptum, quo adeò ſum delectatus, vt, cum à prima lectione nondum ſatis expletus, ſaturatuſq; diſceſſiſſem, fuerit mihi neceſſe ad illud rurſus redire, eoq; pleniùs animum paſcere. in quo opere adeo


nihil mihi se obtulit, quod ad Catholicam fidem, vel ad bonos mores labefactandos pertineat, vt se multa etiam obiecerint, vnde magnæ legentibus vtilitates, fructusq; proueniant. nam & poëticæ facultatis studiosi docentur, quomodo res sacræ, & graues elegantissimè tractari latinis versibus possint, & adolescentes in primis, reiectis fabularum integumentis, ad intima Homericæ disciplinæ cubilia perlustranda ducuntur; vnde se optimis ad omnem vitam rectè, ac laudabiliter ducendam præceptis instructi discedant. præterea studijs eloquentiæ deditis ea in orationibus, quæ in hoc opere continentur, eloquentiæ eiusdem forma proponitur, quam si in se conentur exprimere, facilè in eloquentium numerum veniant. Sermo est elegans, grauis, sententijs abundans, latinus, ac Romanæ vrbis, in qua ille natus est, proprius, ac doctis, & attentè legentibus illustris. Quamobrem nihil esse faciendum priùs existimo, quàm vt id tam doctum, tam vtile, tamq; elegans opus typis mandetur, Romæ XIV Kal. Aprilis 1646.

Io. Victorius Roscius.

Imprimatur

Fr. Vincentius Candidus S. P. A. Mag.


LIT-



Litterarum humaniorum

MAGISTRIS ET PROFESSORIBVS

IN COLLEGIO ROMANO SOC. IESV





ODDO DE COMITIBVS

Ex eadem Societate.

Benè docere.



Os quoq; hanc ſemitam triuimus: quanta cum laude ingenij non multum curo. Tam operoſi laboris nimis leue præmium eſt qualiſcumque hominum

plausus. Aliena nos imperia, quibus volentes subijcimur, in hæc studia miserunt mercede amplissima, quam soluere in se recepit Deus. Quæ sit stupiditas in humani plausus ventulo naufragium, & iacturam facere diuinæ remunerationis? Quid ergo mihi spectatum sit, quæretis, vt hasce meas nugas pueriles (quo enim alio nomine pro suo merito nuncupentur) in hac ætate grandiori publicarem. Et seposueram ego quidem illas in scriniorum angulos, damnatas ad tenebras, nulla facta spe visendæ lucis: cum scrinia vertenti, aut verrenti, vt vacuus esset locus grauioribus commentationibus, illæ vene-

runt

runt in manus: ſtatimque, ſubijt animum cura; vt redderem vobis rationem iuuentutis meæ, alijſque quibus litteræ humaniores non in deſpicatu ſunt. Magna quædam nomina ſua ſe celebritate tuentur, aut laborum ſuorum vtilitate, vt nemo auſit ijs otium exprobrare: inquirent in ſtudia mea fortaſſe non pauci, vt ſciant, an dumtaxat vixerim. Norint, inquam, mihi non otiosè fuiſſe traductam eam ætatem, quæ hiſce ſtudijs oblectatur, quibus maximè videtur idonea. non laudis amor, quam mereri non poſſum: ſed reprehēſionis timor me impulit ad hæc euulganda. Habetis igitur quæ ſuper

Homero ac Virgilio disserui succidaneus in classe Rhetorica magister. quamquam ea non tam dicta fuerunt ad discipulos, quorum captum superabant fortasse: sed ad frequentem doctissimorum hominum coronam, qui sua præsētia meas scholas cohonestabāt. Vos interim pergite hanc Spartam, scilicet artem Rhetoricam à maioribus acceptam, ornare. Nam optimè nostis, magni semper habitas in nostro ordine litteras humaniores. Sic Deus vestra ista studia fortunet, in ipsa quoque cœli beatitate profutura: si vnicè Deum spectetis in improbo iuuentutis instruendæ magisterio. Valete.

OD-



ODDONI

DE COMITIBVS SOC. IESV

IANVS NICIVS ERYTRAEVS.

CRedo, te mirari, quid sit, quod seriùs, quàm par erat, librum, quem mihi legendum commodaueras, tibi remiserim. at, si in mentem reuocare placuerit, quanta in eo rerum magnitudo, & quanta delectatio cõtineatur, continuò omnis admiratio constiterit, & celeriùs quàm oportuerit, meis è manibus dimissus fuisse videbitur. Quis sic inanis, ac siccus, ad vberem, plenam, ac cerealem, vt dicitur, cœnam inuitatus, famelicus ex ea malit abire, quàm suo arbitratu, atque affatim edere? quisnam sitiens, si sit nactus, qui sibi largiter cyathisset, quod Iupiter ipse inuideat, pitissando, penè siti confici malit, quam illud in se merum faucibus plenis immittere? Non ea est vis rerum, ac

sententiarum, quibus liber ille completur, vt leuiter, ac parcè, ab homine discendi cupido; decerpenda; non ea orationis suauitas, vt primoribus tantùm labris degustanda sit: immorandum in ea est, qui tantarum rerum copia expleri, saturariq; se postulet. At si dixeris, illud tibi opus, ab adolescẽtiæ finibus nondum egresso, excidisse, haud scio, an cuiquam probaueris: tanta enim vis doctrinæ, eloquentiæque, vix in hominem exacta ætate cadere posse videtur; nedum vt adolescenti contigisse credatur: At mihi, cui iam inde à puero, ob perpetuam cum Patribus Soc. Iesu consuetudinem, vsumq; omnes ætatis tuæ gradus noti sunt, atq; perspecti, id non solùm sit verisimile, verum etiam certum, & exploratum; nempe, te, ingenij celeritate, qua præstas, in doctrinarum curricula, multis, longiùs ætate prouectis, antecessisse. quo in cursu, non

an-

*antea desatigatus es, neq; quieui-
sti; quàm illuc peruenisses, vbi,
pulsis rerum obscuritatibus, in
clarissima earumdem scientiæ luce
consistitur. Hoc lumine eas quasi
tædas inflammasti, quarum splen-
dore, ductuque, fabularum in-
tegumentis, quasi tenebris, obdu-
cta Homerici carminis mysteria
aperires, ex eiusque visceribus, vt
ex Apennino fluminum, doctri-
narum facta diuortia significa-
res, vt alia bona, & mala videan-
tur* Peripateticis, *alia Stoicis, alia
Epicureis; tum in Helena, in
Troianis, & Græcis, pro ea acri-
ter depugnantibus, in Aiace, Vlys-
se, Hectore, Achille, alijsq; pro-
pugnatoribus, veræ beatitudinis
vim, & quemadmodum ea ratio-
ne, atq; prudentia, pulsis volup-
tatum illecebris, comparetur, de-
signari probares; deinde, in Apol-
lonij Argonautica opum honestè
parandarum rationes tradi, non
minus doctè, quàm elegãter osten-*

deres: postremò, ex Homero, Virgilioq; inter se collatis, vitæ in actione, & contemplatione positæ, vtilitates demonstrari, palam faceres; aliaq; multa adderes, quæ si consilium sit omnia persequi, nullum epistola finem inueniet, ac liber tuus totus erit in eam transferendus. Venio nunc ad genus orationis, quo res ipsæ explicantur; atq; cum censoris acerrimi partes, à te mihi impositas, suscepissem, nullum potui verbum deprehendere, nisi latinum, nisi vsitatum, nisi loco positum: translata verò, quibus vteris, non sunt longiùs ducta, sed ex propinquo accersita, non maiora quàm res postulet, sed ad id aptata, cuius gratia sumuntur; postremò quæ splendorem rebus, quibus adhibentur, non tenebras afferant: verba autem omnia, non dissoluta, non diffluentia, sed adstricta numeris, variè, eleganterque conclusis. Quamobrem, cum in verbis deligendis, ijsque aptè

scien-

ſcienterque inter ſe deuinciendis; ita fueris accuratus, ac diligens, quid mirum eſt, ſi tam recònditas, exquiſitaſq; ſententias, cuiuſuis, etiam mediocriter à doctrina exculti, etiam pene rerum omnium rudis, intelligentiæ, ſplendidas, obuias, apertaſq; reddideris? Atq; vt meam tibi ſententiam aperiam, ad publicam vtilitatem pertinere arbitror, id quàm primum opus typis mandari, teq; neceſſarij cuiuſdam officij religione obſtrictum teneri, vt toto in id animo, ac mente incumbas. Quid? parumne vtilitatis iuuentuti prouenturum exiſtimas, ſi, quod olim in malum rapere ſolita erat, id tua nunc opera, conuertat in bonum? ſi, quas olim fabulæ duxerat irritamenta vitiorum, eas nunc maximarum habeat incitamẽta virtutum? ſi Paridis raptionem Helenæ, ſi conſtantem Achillis iram, ex Briſeide ſibi rapta conceptam, ſi impermiſſas Vlyſſis cum Calypſo vo-

lup-

luptates, aliaq; permulta, in speciem turpia, sub turpi illa persona pulcherrimā virtutis formam, qua fons beatæ vitæ continetur, occultare perdiscat? Non igitur patere, hanc tantam adolescentium in primis studiis vtilitatem diutiùs, fructumq; deberi: nec moram hanc tuam modestiæ excusatione defendas. etenim modestia, si cum multorum sit damno coniuncta, virtutis speciem amittit, & in publicam transit iniuriam. Nam, moneo, tua culpa erit, si quis posthac adolescens, vel alius quiuis, primo rerum, quæ ab Homero traduntur, adspectu deceptùs in eoq; insistens, propterea in aliquod vitium labatur, & cadat. quod non contingeret, sed potius virtutis via ad beatitudinem niteretur, si opus tuum, eius viæ ducem, ac demonstratorem, per occultos earum fabularum tramites, ac semitas, obtineret. Vale. Romæ, 7. Idus Septemb. 1644.

IANO



IANO NICIO ERYTHRÆO



ODDO DE COMITIBVS
Societatis IESV
Salutem.

TVsculanæ delitiæ me diu habent otiantem, ac feriatum à studijs, atque vrbanis, & ipsis penè vrbanitatis curis; memorem tamen tui, Iane mi, non sine aliquo rubore; quòd pridem tibi debitor sim litterarum, & gratiarum. Sæpè animus fuit nominis soluendi: sed cum ibam, vt calamum sumerem in manus, veniebat in manus scipio; hoc enim vtimur extra domum pro pallio; atramentum erat pumice aridius,

cuius

cuius vice musti cyathum offerebat vindemia: & pro charta pampinos: quamquam & platanus, & laurus quoque, quibus hic abundant horti principum virorum, sua offerebant folia: sed neq; ego eram sybilla, & tu fortaße ex Aeneæ cõsilio respuisses folijs mandari mea verba ventis ludibria. Quid facerem inuito cœlo? Cœlum etenim ipsum hic spirat solùm otia, iucundasq; inter amicos sermocinationes, ad aquæ bene cadentis caput, aut in vmbrosis nemorum, valliumq; recessibus, aut in aprico camporum æquore, aut inter amœnitates pratorum. Habes igitur tarditatis meæ probabilem excusationem: aut saltem tua humanitas habet argumenta ignoscendi. factum tandem est; vt huc etiam rumor quidam licet tenuis pertingeret renouationis in Collegio Romano studiorum. Et tu quidem, vt recreasti animum tuum auidum talium rerum; atq;

dies;

diendis tam multis, qui de more proludentes ad bonarum artium scholas, aut generatim, & vniuersè ad liberalia studia incitarent animos iuuenum, aut nominatim ad eas disciplinas capessendas, quas quisque profitebatur? Et sanè res digna est auribus sapientum in argumento non dissimili tanta varietas & argumentorum, & orationis. & illa progressio magnæ auditorum honorariorum, aut discipulorum vndæ ab vna schola in aliam, semper mihi visa fuit officiosa quædam salutatio, & opportuna gratulatio exhibita disciplinis omnibus: quòd è suo secessu fortunatè redierint in vrbem. Sed interim obiecta menti meæ sedulitas magistrorum, atq; discipulorum isthic libros reuoluentium, calamos, & chartam aptantium, infundentium atramentum in vasa, meum quoq; torporem excitauit, cum præsertim extremus autumnus nubicogus, & cœlum in

hyemem

hyemem vertens, multos amicorum in vrbem remiserit, mihique propterea suaserit solitarias in cubiculo moras: vbi cum amicis per chartam tantùm, & calamũ confabularer: quare & tu inter primos occurristi, quem per epistolam dulcissima collocutione salutarẽ. Quòd igitur ante aliquot dies sustinueris patienter tempus impendere in lecturam mearum super Homero disputationum; gratias refero: quòd autem & præterea dignatus fueris eas nugas tuis laudibus aliquid facere; non inuenio verba, quibus gratias æquem, quas habeo. Neq; enim inficior etiam in hoc statu Christianæ humilitatis, quam profiteor, me aliqua gloriolæ titillatione tangi: sine qua rarè in scientiam vllam iucumbunt; cuius illud proprium est, teste Apostolo, vt inflet: at, quòd laudetur à laudato viro, quis non glorietur saltem in sinu? Reiecissem *ego te in sophistas, qui illaudatas*

res

ros eloquentia magis facere se posse apud vulgus laudabiles iactabant, & conabantur: nisi tuus iste morum candor amicis tuis omnibus, & mihi expertus, in candore quoq; tui latini sermonis expressus aliud suaderet: & profectò non latinè diceres, nisi diceres etiam nudè, simpliciterque: in qua laude quantùm excellas, testis est litteratorum in omnibus academijs plausus, quem tuæ Pinacothecæ Eudemiæ, ac dialogis dederunt: testes librarij, qui tanto te opere exoratum volunt, vt quidquid vmquam latinè scripseris ad eos mittere ne cesses, experti lucrum suum in merce tam vendibili: cui nomen tuum vnicum est pro hedera: illi nihil dare sustinent amicitiæ, neq; aliud spectant, quàm suæ rei compendia; quæ non faciunt, nisi libri quoq; faciant litteratis viris eruditionis compendia. Ego verò cur sperarem viris doctis ea probari posse, quæ iunior scri-

scripseram; & quidem super Homero, ideſt super eo auctore; qui non solùm in poëticis, sed etiam in philosophicis, & grauioribus doctrinis planè esset Homerus: cui non solùm Chrysippus, & Crantor Horatio iudice loco cedant, sed etiam cui magna illa nomina in morali, naturaliq; philosophia Plato, & Aristoteles multum debeant, nisi audire velint ingrati, cum scilicet ab illo plurima in suos libros deriuauerint. Scio equidem ab eo interpretando excludi puros, putosque grammaticos, & eos solùm permitti in hæc adyta pedem inferre, qui sibi longo studio priùs fecissent familiarem philosophiam; cui nota sint omnia Iliadis, & Odyssææ penetralia. Et ego non extimescerem ne in temeritatis notam me induerem; quòd iunior ausus fuissem penetrare in eius sensus allegoricos, & latentem in fabularum profundo veritatem expiscari? quæ adeo al-

tè

tè in eius carminibus immersa est: vt viris multis sapientibus oppidò, & in omni doctrinarum genere peritissimis, visus ille sit inanis labor, quòd existimarent nihil intra pectus Sileni illius contineri pulcrius, aut opulentum magis quàm quod appareret in facie. Quid quod & factus animosior in arenam iusserim descendere Homerum, & Virgilium, vt coram me, tamquam iudice, digladiarentur; quis eorum in artificio poëtico, & in fabula contexenda videretur ingeniosior? Ea cogitatio premebat intra mea scrinia iuueniles meos labores, quos tu tandem tuis precibus deprompsisti: & ego non inuitus iussi liberos abire ad tuam censuram: at tu non solùm temeritatis me non accusas; sed pro censura laudationem quoq; refers; & præterea testificaris respondisse, si Deo placet, audaciæ euentum: quin etiam auctor mihi es, vt eos in libertatem omnino vin-

dicem

dicem, deq: mea manu mittam in librariorum prælum. Posthac ego quoq: pluris faciam nugas meas; & si quando otium dabitur, sique mei superiores, quorum voluntati nostra omnia subijciuntur, suo suffragio annuerint; non adeo alienus sum, ut in lucem prodeant iudicium uniuersitatis doctorum hominum subituræ. Vide quo me tua laudatione, atq: exhortatione impuleris. Tu interim quoq: perge bibliothecas locupletare tuis eruditis studijs. Expectamus litteras tuas familiares: expectamus dialogorum, & Eudemiæ partem alteram, in qua lectores animes meliorum exemplis ad assecutionem virtutis: satis quippè in prima parte à vitijs eos abstraxisti, expressa ad viuum turpitudine vitiorum: quæ ut deformia sint, ut horrida, ut spurcissima, oculis tamen aliquorum obscœnæ, ac ferinæ delectationis specie placent. Sensus enim hominis, & cogitatio hu-

humani cordis, vt legitur in sacris litteris, in malum prona sunt ab adolescentia sua; vt cautius multo sit vitiorum faciem ab nostra cogitatione eripere, quàm licet execrabilem, & fœdam ei obijcere. virtus quoque ipsa multo plures pulcritudine sua, quam tu pro tua ista latini sermonis elegantia potes ad viuum expingere, alliciet ad sui sequelam. Et Roma ipsa, quod est commune magnis omnibus vrbibus, vt plena sit luto, ac fœce, maiorem tamen partem sui nitida, ac pura est: in qua parte habitare oratione, ac stylo multo maxima sit voluptas. Tu ipse testis esto; qui continuus es in ea congregatione hominum, quam in domo nostra apud sacram ædem nominis Iesu Beatissimæ Virginis MARIÆ tutela singularis suo fecit dignam nomine. Ille cœtus quàm præclara sufficiet exempla virtutum, quàm laudabilia bene viuendi instituta, quàm egregiam

mo-

morum disciplinã; vt Eudemiam tuam sanctissimis legibus ad imitabile vitæ genus informes. Sic Deus te sospitet, suaq; consolatione repleat animum tuum; tuaque vota in omnem partem felicitet. Vale Nonis Nouembribus Anno ab H. S. 1644.




AR-



ARGVMENTVM

ILIADIS.





PAris Priami filius Regis Troianorum, hoſpitio vſus Menelai Regis Argiuorum, Helenam pulcherrimã mulierum omnium Græcarum rapit, & Troiam abducit. Quapropter, facta conſpiratione, ex tota Græcia exercitus ſcribitur, Impera-

 tore

morum
tuam sa
sabile v
Deus te
tione rep
que vot
cites. V
Anno ab

eris beneficio: frustraque
amantibus Græcis, pacta
on seruari, totis copijs con-
gitur: placatisque Hecto-
monitu per mulierum
pplicationem Dijs, Hector
im Agamemnone singula-
certamine confligit; &
erque donatus ab altero
uneribus discedit; quæ
unera fuerunt postmodum
s instrumenta mortis. Ne-
ue minùs interea Dij ipsi
ello ciuili confligunt inter
e: quorum Mars, & Venus
Troianis propitij vulneran-
ur à Diomede. Nocte præ-
ium dirimente, consilium
neunt Troiani de reddendis
spolijs, quæ cum Helena
Paris abstulerat, retenta ta-

hyemem vertens, multos amicorum in vrbem remiserit, mihique propterea suaserit solitarias in cubiculo moras: vbi cum amicis per chartam tantùm, & calamũ confabularer: quare & tu inter primos occurristi, quem per epistolam dulcissima collocutione salutarẽ. Quòd igitur ante aliquot dies sustinueris patienter tempus impendere in lecturam mearum super Homero disputationum; gratias refero: quòd autem & præterea dignatus fueris eas nugas tuis laudibus aliquid facere; non inuenio verba, quibus gratias æquem, quas habeo. Neq: enim inficior etiam in hoc statu Christianæ humilitatis, quam profiteor, me aliqua gloriolæ titillatione tangi: sine qua rarè in scientiam vllam incumbunt; cuius illud proprium est, teste Apostolo, vt inflet: at, quòd laudetur à laudato viro, quis non glorietur saltem in sinu? Reiecissem *ego te in sophistas, qui illaudatas*

res

nus eloquentia magis facere se posse apud vulgus laudabiles iactabant, & conabantur: nisi tuus iste morum candor amicis tuis omnibus, & mihi expertus, in candore quoq; tui latini sermonis expressus aliud suaderet: & profectò non latinè diceres, nisi diceres etiam nudè, simpliciterque: in qua laude quantùm excellas testis est litteratorum in omnibus academijs plausus, quem tuæ Pinacothecæ *Eudemiæ, ac dialogis dederunt: testes librarij, qui tanto te opere exoratum volunt, vt quidquid vmquam latinè scripseris ad eos mittere ne cesses; experti lucrum suum in merce tam vendibili: cui nomen tuum vnicum est pro hedera: illi nihil dare sustinent amicitiæ, neq; aliud spectant, quàm suæ rei compendia; quæ non faciunt, nisi libri quoq; faciant litteratis viris eruditionis compendia. Ego verò cur sperarem viris doctis ea probari posse, quæ iunior scri-*

scripseram; & quidem super Homero, ideſt super eo auctore; qui non solùm in poëticis, sed etiam in philosophicis, & grauioribus doctrinis planè esset Homerus: cui non solùm Chrysippus, & Crantor Horatio iudice loco cedant, sed etiam cui magna illa nomina in morali, naturaliq; philosophia Plato, & Aristoteles multum debeant, nisi audire velint ingrati, cum scilicet ab illo plurima in suos libros deriuauerint. Scio equidem ab eo interpretando excludi puros, putosque grammaticos, & eos solùm permitti in hæc adyta pedem inferre, qui sibi longo studio priùs fecissent familiarem philosophiam; cui nota sint omnia Iliadis, & Odyssææ penetralia. Et ego non extimescerem ne in temeritatis notam me induerem; quòd iunior ausus fuissem penetrare in eius sensus allegoricos, & latentem in fabularum profundo veritatem expiscari? quæ adeo al-

tè

tè in eius carminibus immersa est: vt viris multis sapientibus oppidò, & in omni doctrinarum genere peritissimis, visus ille sit inanis labor, quòd existimarent nihil intra pectus Sileni illius contineri pulcrius, aut opulentum magis quàm quod appareret in facie. Quid quod & factus animosior in arenam iusserim descendere Homerum, & Virgilium, vt coram me, tamquam iudice, digladiarentur; quis eorum in artificio poëtico, & in fabula contexenda videretur ingeniosior? Ea cogitatio premebat intra mea scrinia iuueniles meos labores, quos tu tandem tuis precibus deprompsisti: & ego non inuitus iussi liberos abire ad tuam censuram: at tu non solùm temeritatis me non accusas; sed pro censura laudationem quoq; refers; & præterea testificaris respondisse, si Deo placet, audaciæ euentum: quin etiam auctor mihi es, vt eos in libertatem omnino vin-

dicem


dicem, deq: mea manu mittam in librariorum prælum. Poſthac ego quoq: pluris faciam nugas meas; & ſi quando otium dabitur, ſique mei ſuperiores, quorum voluntati noſtra omnia ſubijciuntur, ſuo ſuffragio annuerint; non adeo alienus ſum, vt in lucem prodeant iudicium vniuerſitatis doctorum hominum ſubituræ. Vide quo me tua laudatione, atq: exhortatione impuleris. Tu interim quoq: perge bibliothecas locupletare tuis eruditis ſtudijs. Expectamus litteras tuas familiares: expectamus dialogorum, & Eudemiæ partem alteram, in qua lectores animes meliorum exemplis ad aſſecutionem virtutis: ſatis quippè in prima parte à vitijs eos abſtraxiſti, expreſſa ad viuum turpitudine vitiorum: quæ vt deformia ſint, vt horrida, vt ſpurciſſima, oculis tamen aliquorum obſcœnæ, ac ferinæ delectationis ſpecie placent. Senſus enim hominis, & cogitatio hu-

humani cordis, vt legitur in sacris litteris, in malum prona sunt ab adolescentia sua; vt cautius multo sit vitiorum faciem ab nostra cogitatione eripere, quàm licet execrabilem, & fœdam ei obijcere. virtus quoque ipsa multo plures pulcritudine sua, quam tu pro tua illa latini sermonis elegantia potes ad viuum expingere, alliciet ad sui sequelam. Et Roma ipsa, quod est commune magnis omnibus vrbibus, vt plena sit luto, ac fœce, maiorem tamen partem sui nitida, ac pura est: in qua parte habitare oratione, ac stylo multo maxima sit voluptas. Tu ipse testis esto; qui continuus es in ea congregatione hominum, quam in domo nostra apud sacram ædem nominis Iesu Beatissimæ Virginis MARIÆ tutela singularis suo fecit dignam nomine. Ille cœtus quàm præclara sufficiet exempla virtutum, quàm laudabilia bene viuendi instituta, quàm egregiam mo-

morum disciplinã; ut Eudemiam tuam sanctissimis legibus ad imitabile vitæ genus informes. Sic Deus te sospitet, suaq; consolatione repleat animum tuum; tuaque vota in omnem partem felicitet. Vale Nonis Nouembribus Anno ab H. S. 1644.




AR-



ARGVMENTVM

ILIADIS.





PAris Priami filius Regis Troianorum, hospitio vsus Menelai Regis Argiuorum, Helenam pulcherrimã mulierum omnium Græcarum rapit, & Troiam abducit. Quapropter, facta conspiratione, ex tota Græcia exercitus scribitur, Impera-

tore Agamemnone Menelai fratre, In eum exercitum, nomen ſuum confert Achilles, fortitudine ceteris omnibus præſtantior eo fato, vt ſine ipſo Troia debellari non poſſit. Sed cum Agamemnon Briſeidem venuſtiſsimã puellam, quæ illi obtigerat in ſortitione prædæ, ab illo per ſummam imperij auctoritatem abduxiſſet; iratus Achilles renuit in prælium, deſcendere cum alijs Græcis; qui propterea rem malè gerunt: initoque ſingulari certamine inter Paridem, & Menelaüm ea conditione; vt Helena victorem ſequeretur: Paris victo iam propior pugnæ ſubducitur Ve-

neris beneficio: frustraque clamantibus Græcis, pacta non seruari, totis copijs confligitur: placatisque Hectoris monitu per mulierum supplicationem Dijs, Hector cum Agamemnone singulari certamine confligit; & vterque donatus ab altero muneribus discedit; quæ munera fuerunt postmodum ijs instrumenta mortis. Neque minùs interea Dij ipsi bello ciuili confligunt inter se: quorum Mars, & Venus Troianis propitij vulnerantur à Diomede. Nocte prælium dirimente, consilium ineunt Troiani de reddendis spolijs, quæ cum Helena Paris abstulerat, retenta ta-


men Helena: ſed ea conditio reijcitur à Græcis. Quare iterum venitur ad prælium: à quo recedentibus Dijs imperio Iouis, Græci terga vertunt: deſperataque victoria, de reditu in Græciam ſuos conſulit Agamemnon: ſed vetat Diomedes; & ex Neſtoris conſilio legati ad Achillem mittuntur cum muneribus, qui eum reuocent: Diomedes interim & Vlyſſes Rheſum intercipiunt; qui ſubſidiarius venerat Troianis eo fato: vt, ſi ipſius equi biberent de aqua Xanthi, debellari Troia non poſſet; ſi ſecus, Troia caderet. Hac ſpe elati Græci, rurſus prælium ineunt in-

infeliciter. Achilles igitur ſuorum clade permotus, iubet, Patroclum fidiſsimum & amiciſsimum caput ipſius armis indutum, Myrmidones, qui ipſi parebant, in campum educere. ſed ille Hectori congreſſus, occubuit. Vlturus hanc mortem Achilles, iram ponit, ac priùs nouis armis Vulcani arte fabricatis à Matre Thetide instructus, in prælium deſcendit. Opponitur illi fluuius Xanthus, ſuper ripas magno impetu effuſus, quē pernicitate pedū vſus priùs Achilles, vitauit; mox Vulcanus flammis repreſsit. Demum cum Hectore confligit Achilles, deque eo repor-

tata victoria, & opimis ſpolijs, triumphans redit
ad ſuos: & ſpes
omnis occi-
dit Tro-
iano-
rum
∴



Con-



CONTEXTVS

ILIADIS

ALLEGORICVS.

POëtis, quòd grauitati, & simplicitati morum noceât, in Republica nullus locus tribuitor; extra imperij fines, coronati lana tamen, & vnguentis delibuti, vt eruditioni aliquis honor detur, amandantor. Edictum Platonis est, è sua Republica impostores artifices exulâre iubentis, ex Poëtarum natione præsertim eius artificij Principem Homerum. Hunc ego damnatum hominem, & Maximi Tyrij testimonio ciuitatibus, quas optimè habuit institutas Grœcia, excussum omnibus, vt vos in vestram recipiatis Ciuitatem adsum, tanto pessimus omniũ

patronus: quanto ille optimus omnium Poëta. Permisso tempore, vestraque patientia non abutar longiùs: nisi planum fecero, eius carmina, præsertimque, quá habemus in manibus Iliadem, viam per salutaria præcepta ad politicam felicitatem dare, ac sternere non sine compendijs rectissimam: vt vestris quoque suffragijs illi aqua interdicatur, ac igni, per me non stabit. Sic enim prorsus existimo, pugnas illas, quibus Græcia Barbariæ lento collisa duello est Paridis propter amorem, pugnæ cuiusdam ciuilis in mortalium animis, & multo maximè calamitosæ simulacrum esse: qua, sibi quisque inimicus ipse, inuadit se, & voluntarius infestæ voluptatis miles ad ipsàm se, vt cum Platonicis loquar, animæ mortem insequitur acerrimè. In summa, vt breuissimè faciam, tam longo poëmate docet nos Poëta ingeniosissimus, per Græcorum exempla contra voluptates depugnare: vt demum, etiamsi multis fracti prælijs, bello tandem victores, Troia regno voluptatum exciso, Helenam beatitatem scilicet, ac animi pacem recuperemus. Quam ego doctrinam antequam explico; repetenda mihi sunt altiùs aliqua de duplici animi nostri facultate, ac parte; qua ad
ali-

aliquid agendum impellimur, altera, rationis compote, experte altera. illa enim rationis momẽtis perpẽdit omnia, prouidetque futura: hæc affectibus cœca trahitur, intuetur tantummodo præsentia, & omnia temerè agit, ac inconsultò? illa est animi vis intelligentis, qua similes Deo dicimur, beatisque mentibus: hæc sentientis facultas, quam cum bestijs ipsis communicamus: quæ tamen iterum bipertitò diuiditur: in eam, qua concupiscimus aliquid; & qua irascimur, ac succensemus. In hac secunda animæ parte rationis vacua sedes, ac regia voluptatũ est: in altera solùm vera esse potest beatitudo; quam ab omni purgatus errorum labe intellectus facit. Neque enim nostri solùm, diuinæ sapientiæ luce afflati, sed veterum etiam philosophorum plerique, & optimi beatitatem veritatis cognitione definierunt. Sed omnium elegantissimè Platonicorum facile Princeps Plotinus; qui libro quarto Enneadis primæ, cum demum illud post longam disputationem effecisset, homines etiam assequi felicitatem posse; sic de eius vi deinceps inquirit: vt in súma tunc velit, hominem illam assecuturum fore; cum altera pene dixerim animæ parte interem-

pta, totus ex intellectu viuit: nam tum demum Platonici, se viuere feliciter arbitrantur: cum, vt Plotini vtar formula, hominis anima tota, quanta quanta est sine vlla vllius partis exceptione intellectus est, Deo beatitatis fonti, quãtum in hac mortalitate licet, omnino persimilis. Non est neque huius temporis, neque huius loci, conciliare discipulum Plotinum cum Platone magistro: apud quem habemus in Philæbo, neque sola sapientia, neque sola voluptate beatitatem haberi posse; sed in idea quadam sitam esse; quæ vtramque mirabiliter in vnum committat: cuius habemus Aristotelem sententiæ subscriptorem, Peripateticosque, quos eo loco reprehendere videtur voluisse Plotinus. Vt ad caput rei tandem propiùs accedam; neque honestas, & criminum puras damnabit voluptates Plotinus beatitatis appendices: neque illas multorum sæpè scelerum reas pulcro beatitatis nomine animis mortalium causæ iudicibus commendabunt aut Aristoteles, aut Plato. Enimuero hinc fiet; vt ea pars animæ, quæ ratione non vtitur, quia nihil supra voluptates, supraque se intelligit, adeoque intelligit omnino nihil; suam in illis omnem collocet felicitatem: subitaque identi-

dem

dem facta rebellione, rationisque imperio excusso, animi perturbet pacem; & pro qua sumpsisse arma se credit, ipsam prodat beatitatem. Beatitudo igitur nostri Helena est animi; quæ duabus eius partibus bellum dat acerrimũ decennio maius. & congruenter Helena tam multis expetitur procis, quia omnes, vt habet Aristoteles, id bonum dicunt, quod omnia expetunt. Illa igitur, si primis auspicijs Menelao in matrimonium datur, idest, vt ego interpretor, rationi legitimis iuncta connubijs, laudata omnibus, Regia domo fruitur, & pace pulcherrima. si, priori relicto marito, voluptarium cum semiuiro comitatu sequatur Paridem; idest in alteram animæ partem si quis collocet; non iusta coniux, sed rapta per vim meretrix, & infamis adultera, commissis inter se magnis duobus populis, ipsa etiam discerpitur in partes; ambobus æque inuisa, nescia cui victoriam velit, in quamcumque partem inclinet, inimicam ipsi: vt nemo interim cadat, cum qua ipsa non corruat, pro qua tam acribus odijs vtrimque depugnatur. Neque nouum omnino videri debet; si Menelaüm per translationem confundamus cum ratione. Hunc enim opinor fuisse sensum eruditi sannionis,

ac ſcurræ Luciani Samoſateni; qui, dũ plebeculæ, ac vulgi quiſquilijs deridendam dat in ſcenam philoſophiam; reconditiſſimas, ad morem theatralium carminum, eiuſdem opes exponit in medium, hominibus intelligentibus admirandas. ille igitur Menelaüm in dialogis maritimis cum Proteo, cum re illa tam numeroſa, ac omnium formarum Deo diſputantem inducit acriter de ipſius multiplici metamorphoſi, cuius occaſionem dialogi arripuiſſe videtur ex Homero Odyſſeæ quarto: vbi captum per filiæ dolum phocarum paſtorem Proteum de ſuis percontatur erroribus Menelaüs. at verò nemo vel leuiter verſatus eſt in fabulis; qui neſciat, primis philoſophiæ inuentoribus Proteum prima fuiſſe rerum principia, vnde & nomen habuit, quaſi τὸ πρῶτον ὂν primum eorũ ſcilicet, quæ vnquam extiterint. at hæc inueſtigando recludere per diſceptationem, quis non videt opus eſſe intelligentis animæ? Rapta igitur per hoſpitalem iniuriam Helena, immerſaque in voluptatum gurgite beatitate Grœcorum ideſt hominum maximè ſapientum ad illam repetendam exercitus conſcribitur: quia nimirum ad beatitatem vel retinendam, vel vindicandam non vna ſibi ſa-

tis est ratio: nisi alias animi facultates habeat, veluti sociorum copias auxiliares. cui exercitui non Menelaüs præficitur, sed Agamemnon frater: quia non ratio affectiones animi, sed illius germana regit voluntas. Facit in hunc locum id, de quo à Platone laudabatur Agamemnon in Cratylo qui dictum putat Agamemnonem ἀγαστὸν τὴν μονὴν, quasi admirabilem perseuerantia: quòd in ijs elaboraret; quæ certo ante animi consilio decreuisset. quis non videt, id in eo laudem habere, quod in commendatione quoque voluntati est! quæ tú suas peragit optimè partes, cú summam in ijs retinet constantiam; quæ certò sunt consilio decreta priùs à ratione. Et propterea fortasse in eiusdé reprehensionem Platonis incurrit Homerus: quòd Menelaüm non aduocatum, faciat accedentem ad epulas Agamemnonis: cum potiùs excoquantur dapes, & condiantur, conuiuioque voluntas excipiatur à ratione, quæ agenda sunt, illi capitulatim proponente. Illa tamen constantiæ laus benè Menelão quoque cum Agamemnone communis est: nam inter variantis intellectus vicissitudines, quid sibi cœca constare possit voluntas? eam, inquio, laudem Agamemnoni singularem non esse:

ſe : quia Menelao factum crediderim, nomen : quòd eo manente, cuius agebatur cauſa, populus etiam maneret Græcorum in longiſſima Troiana obſidione : vt quemadmodum illis de ſua conſtantia non deturbatis, neque firmitas vacillaret exercitus ; ita propoſitum retinentibus, quæ affectiones animi moderantur, voluntate, ac ratione; neque illæ de arrepta ſemel virtutis via, itinerum fatigatæ longitudine, dimoueantur. Heroës ceteri reliquarum aut affectionum, aut virtutum ſymbola ſunt, quæ nos breuitati ſeruientes, mox enodabimus; cum facta ſingulorum recenſebimus ex Homero. Achilles igitur omnium præſtantiſſimus, quis qualisque ſit in hoc poëmate, ex ipſo conijcere poſſumus, dum non verè minùs, quàm gloriosè prædicat, vt alijs prudentia concedat, & eloquentia, ſi res ad manus deueniat, cedere ſe nemini. Sic eſt. virtus actuoſa quædam res eſt; nec ſolius quieto voluntatis imperio circumſcribitur: & quia ſępè animæ opera, quæ intelligentia non pollet, eſt exigenda, in qua multas offendit difficultates : ad eas tollendas omnes, viuidam quandam in illa deſiderat facultatem: cuius impulſu ad ea pręſtanda moueatur ſtatim; quę rationis, compos animæ

mæ altera portio imperauerit. Non hic ego meam interpono sententiam super iis; quæ de hac facultate apud Philosophos in opinione sunt: solùm enim illud volo, hanc qualemcunque vim maximè ad voluptates refrœnandas necessariam, siue habitum nuncupes, siue quo alio velis nomine, siue à virtute seiungas, siue confundas cum illa, expressam fuisse ab ingeniosissimo Poëta in Achillis fortitudine: illudque in summa nos vult commonefactos; desperare nos posse de voluptatum victoria: nisi si præter voluntatis efficacitatem, hanc etiam sentientis animæ facultatem in pugnam adhibeamus. Quàm enim sæpè cum lacrymis dolere illud possumus, & conqueri, quod Medea lamentabatur apud Ouidium: Video meliora, proboque; deteriora sequor. Auocat frequenter tamen eius partis à virtute studium voluntas dura nimis, & aspera, honestis denegatis relaxationibus, nullaque, veluti laboris præmio, permissa laudabili voluptate. Neque enim in illa Stoicorum apathia vlla potest esse beatitudo; qui non correctas volunt animi perturbationes; sed excisas penitus, & eradicatas. Miseram illi nimis, nudamque volunt virtutem à famulis omnibus; quos illi datos

à na-

à natura, si suo illi peccent in munere, vel præceptionibus, vel etiam iustis irrogatis supplicijs, conditiones sui docere debuissent famulatus; non omnino interimere, ac penè dixerim, veluti fugitiuum seruum, in crucem agere. Quàm ad viuum rudem illorum, & agrestem philosophiam stylo expinxit, & pro sui scurrilitate ingenij legentium oculis irridendam subiecit in Hermotimo Lucianus! & in ijs opusculis quæ scripsit contra Stoicorũ paradoxa Plutarchus! Quid enim, non incredibile sit, beatitatem ita in alteram animæ partem transfundi: vt misera, prorsus altera relinquatur, ac omnium expers delitiarum? Hæc eadem fuere Achillem inter, & Agamemnonem acerbioris iræ semina; quæ tot mala intulit Græcis. Agamemnonis enim malignitatem in præda diuidenda ipsemet Achilles incusat, & raptæ Briseidos iniuriam; quam suis redux ipse in patriam thalamis destinauerat. Indignatus igitur Achilles, Briseide se suorum prœmio, ac solatio laborum per summam Regis iniquitatem spoliari, ita se, ac suos in iram dedit, ac otium: vt omnem excindendæ Troiæ spem, sibi datam, à fatis in manus, penitus resecuerit. Audaciter nihilo seciùs Grœci descendunt in

prœ-

prœlium, Achille se intra naues continente, ac otiante: sed sine illa exequente facultate non subiguntur voluptates. Confligunt, inito inter reges fœdere, singulari certamine Menelaüs, & Paris, primæ tantorum tumultuum causæ: cuius contentionis ille fuit exitus vt Veneris beneficio Paris exsolutus ab aduersarij, penè illum suffocantis, manibus, ac suo redditus cubili, obiectaque Helena, importuna maximè libidine commeritæ, quam effugerat, mortis, laborumq; ingratam obliteraret memoriam. Hæc est illa prima voluptatis, ac virtutis congressio ad humanum animum præoccupandum: cum ineunte adolescentia per difficillimam deliberationem constituendum nobis est, quos nos, & quales esse velimus: & quamquam in ea ætate inest maxima imbecillitas ingenij: ad laboriosa tamen vitæ prosequutionem validis, intortisque rationum vinculis pere traheremur: ni, malo nostro blandita Venus, nos aliò subduceret; constitutisque ante oculos voluptatibus, id sequi cogeret vitæ genus; quod minimè adamamus; & ante nos implicaret voluptario viuendi genere: quàm possimus id, quod optimum sit, iudicare. In hac prima pugna non succumbere voluptati

luptati, pauci, quos æquus amauit Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera virtus, Dijs geniti potuere. ſanè quòd Herculi Iouis filio contingere potuerit, pro miraculo narrabat apud Xenophōtem Prodicus: cuius æmulatorem laudis facit Silius Scipionem ſuum. Fœdus, inexpiabili Regum, ac populorum religione ſancitum, ſumma cum impietate ne dicam an perfidia? violant Troiani: & deſperata iam pace, acerrimum reſtituitur prælium: in quo licet Grœcorum nemo ſuas non agat peregregiè partes: Dijs tamen iuſſu Hectoris per muliebria ſacrificia placatis ex Heleni monitu, & cum Hectore Paride in pugnam redeunte, ita Troiani victoriam non reportarunt: vt multum eius diei laboribus debuerint; quòd iam victoriam non omnino deſperauerint. Ita enim ex altero, quod initum eſt Aiacem inter, & Hectorem ſingulare certamen, diſceſſit vterque malis mortis ominibus donatus ab aduerſario: vt quamquam victor Aiax à Grœcis iudicatus lautiſſimo conuiuio exciperetur: Hector nihilominus non ita facilè victoriæ laudem eſſet illi relicturus. Ita ſæpè mortalium intemperantiſſimi, qui à natura facti videntur ad neſcio quam religionis vmbram, ne hoc ipſum ſimu-

simulacrum boni abeat sine mercede; à summo iudice prospera cumulantur fortuna. De quo & expostulauit tunc cum Ioue Minerua; & religiosiùs regius prophetes Dauid expostulabat cum Deo suo: quòd tam multi ea dulcedine illecti, veluti hamo pisces caperentur ad omne perpetrandum nefarium scelus; sed quæ felicitas esse possit; si libidini tyranno maximè duro seruiatur: cuius turpis famulatus illa prima est merx; quòd homines ceteroqui venerandos aliorum despicientiæ faciat obnoxios. Malo id Veneris docemur, ac Martis; quos vt Deos habuerit Homerus, homo suarum superstitionum non negligentissimus: vulneribus tamen obiecit mortalis Diomedis: cuius audaciæ repetere defensionem possumus ab Euripide. Si turpe Dij faciunt aliquid: non sunt Dij. Et benè obijciuntur Diomedis telo, hominis magnanimi. nam eam virtutem maximè laudari debere in Diomede, facit illa periculorum omnium contemptio, mentionis omnis de pace laudabilis inimicitia, & non reprehendenda quædam, se supra parentem efferentis superbia, & iusta contra suæ virtutis obiurgationes indignatio. at verò cui nisi magnanimo sint maximè contem-
ptibiles

ptibiles voluptatum isti viles anteambulones, an pedisequi? Reuersionem nos interim faciamus, vnde diuerteramus; dicamusque, mortales, post primam illam quietam pugnam, post fractum à voluptatibus foedus, quae rationibus decertare non sustinent, pergere, vti pergunt in aetate, contra voluptates depugnare: sed quia nondum experti, quantum in ijs mali lateat, ac dedecoris, non omnem, vti par est, adhibent conatum: illas non frangunt; quae sine summa vi animae sentientis, idest sine Achille debellari non possunt. neque tamen spe caditur adhuc victoriae: quando longo non tantùm vsu inualuerunt, vt omnino obruant. Aiacis illud cum Hectore certamen, quod in exitialia dona degenerauit, consilium, siue potiùs insaniam accusat aliquorum; qui non certa animi constitutione, sed ferocitate quadam naturae voluptates audent in pugnam lacessere; cumque ijs aperto Marte idest iniquissimo dimicare: quorum non tam ferocitatem illae pertimescunt, quàm fugiunt stupiditatem: ita vt neque vincantur, quia sese illis non permittunt; neque vincant, quia barbara quadam naturae stupiditate non vincunt cum virtute. Stolidam enim quandam

quandam ferociam designauit Homerus in Aiace; quem fecit corporis viribus Achilli non imparem; sed facilè ab ira insanientem. Dictum Aiacem videtur velle Philostratus ἀπὸ τοῦ ἀετοῦ. nam cum leonina pelle indutum Aiacem Hercules obtulisset Ioui; ac deprecatus esset, vt vulneribus, qua leone induebatur, imperuium redderet: aquila venisse nuncia refertur annuentis Iouis; quę nomen quoque puero imposuerit. At aquila, & omne vulturum genus, vt reliquas fortitudine volucres antecellit: ita prudentia superatur à multis. Ea stoliditas occasionem Aesopo fortasse dedit, conferendi cũ vulpe semel aquilam, semel cum scarabęo duabus in fabulis. in quibus illud conuincere videtur voluisse; prudentiæ stolidam cedere fortitudinem: quasi Aiacem cum aquila, cum scarabæo, ac vulpe duplicem illum conferret Vlyssem nobilem fraudum machinatorem. Dirempto per noctem certamine, ineunt consilium Troiani; vt redditis ijs, quæ de Græciæ diuitijs asportauerat cum Helena Paris, sed ipsa Helena retenta, tam diuturno bello finis imponeretur aliquando: sed falluntur miseri Phryges: nam gustata semel voluptas, nisi confirmato contra illam animo penitus, ac



ac omnino reijciatur, fœdus facere fortasse potest aliquando; pacem dare perpetuam non potest: & minima quæ in corde viuere permittatur, quasi in arce regia, licet multis circumsepta custodijs, reuocabit facile tamen alias: & viuere non amat in humano corde; aut illius Regina semper esse affectat per insidias.

Decertandum iam igitur est copijs omnibus; quando aliqua pacis via iniri non potest per singularia certamina; neque iustæ describuntur conditiones à Troianis, idest à voluptate: sed Dijs per imperium Iouis pugna cedentibus, terga dant hostibus Græci, intra vallum se recipientes; qui Troianos ante intra ipsas Troiæ portas infestis fuerant armis insequuti. Hæc est armorum conditio, hic est communis Martis exitus; qui sæpè spoliantem & exultantem euertit: siue meliùs hoc Deus repetit pœnæ genus ab ijs; qui non seriò se voluptatibus opponunt, & cum omni conatu. Reuocet Achillem in pugnam, idest omnes in eam rem adhibeat vires, qui Deum adesse velit in certamine. Vt enim prouerbio monemur: manum admouenti sunt vocanda numina; ne, quod est in fabulis apud Suidam, in Herculis nos induamus reprehen-

prehensionem; quòd otiosi opem ipsius imploremus. Percontanti alicui cur omnia Deorum simulacra essent armata apud ipsos, respondisse fertur Lacon Charillus; vt, qui eorum opem implorarent, scirent accinctos illos esse ad auxilium; si quoque ipsi accederent armati. Deus non volentes solùm, sed facientes adiuuat. Expertus id aliquando malo suo Agamemnon, de Troia suos consulit relinquenda: quid enim magis obuium; quàm, post multos exantlatos labores operam perdi: quia, quod monemur in Sacris paginis corrumpimus in fine: sed à turpi fuga Regem Diomedes abs.erret ex magnanimitatis officio; quæ semel affecta prætermitti non patitur infecta. Prudentiùs tamen consilio prudentissimi ab experientia Nestoris mittuntur ad Achillem Legati, qui promissis ac muneribus ferocem animum deliniant. Ille nihil ditissima moratus dona, irasci pergit, ac otiari: vnde Diomedes, alios magnanimitate quadam despiciens, occasionem arripuit ipsius arrogantiæ incusandæ: & reprehendendi Agamemnonis, quòd, iis oblatis donis, hominem ceteroqui animo inflatum impulisset magis in superbiam. Vtinam sæpè nostra etiam cœco quodam furo-
re

re non ita ageretur animæ pars, in qua ira regnat & cupiditas: vt neque exhortationibus illam ad bellum acriter contra voluptates gerendum erigere possimus; neque beatitatis obiectu: quam cum ipsa facere non potest, quin communicet altera, in qua dicebamus, esse posse beatitatem. O noctem illam Græci vobis infelicem; qua, Troianis naues obsidentibus de infimi actum est fuga, & de reconciliando Achille desperatum est. Plus illa vobis noctu, quàm creditis, actum est Atridæ: illa eadem nocte illa vicissis: qua missi Diomedes, & Vlysses exploratum ad castra Troianorum, audito Rhesi aduentu ex Dolone hostili speculatore; interempto cum duodecim socijs rege, nobiles illos equos ad vestras ductos naues noua fręna compulerunt recipere; priùs, quàm Pabula gustassent Troiæ, Xanthumque bibissent; Priami postmodum hostes, cui venerant auxiliatum, in prælium ducturos. Hactenus quæ in animo resident, descenderunt in pugnam affectiones: corporati iam sensus nescio qua naturali ad voluptates procliuitate illis veniunt suppetias: quòd si vel summis labris dulcedinem vitæ delibare voluptariæ permittantur; in desperatis, ac perditis habeatur

beatur

beatur victoria: si verò prouidenti sagacitate, qualem laudamus in Vlysse; aut Diomedæa magnanimitate frœna priùs mordere cogantur sapientiæ; vicimus, debellauimus, triumphauimus. Enimuerò non ita feliciter accidit Grecis: qui cum de die pugnæ se iterum commisissent, Hectore vrgente, multisque benè gestis rebus supra modum elato, plerisque Græcorum Principibus per fraudem Paridis vulneratis, expugnatis munitionibus, quibus classem sepserant, eo iam angustiarum deuenerant: vt de igne à nauibus arcendo, quo reditus, ac fuga permitteretur in patriam, cogitandum esset. Benè habet Græci, resistite, vt decet viros: tantam miseratus demum suæ gentis internecionem Achilles educit Myrmidones Patroclo Duce, quem suis instructum armis vobis referre fiduciam iubet, Troianis, ac ipsi in primis Hectori terrorem, ac fugam. Sed quò iam ego? quasi prælij nesciuerim infelix euentum, mortuo Patroclo, exuuijs, quod maximè dolendum sit, exultante Hectore Achillæis. Hanc opinor pugnam sine allegoriis descripsit sapiens ille Salomon in prouerbijs, cum eorum incusat negligentiam, qui, si operi accingunt manus, ita dormitanter

agunt omnia; vt iure dubites, an verè velint, quod ardenter amant. Simulato Achilli non datum est, Troiam excindere: sed neque victoriam de voluptatibus tenues dant quidam, & efficti conatus. Quæ in ea longissima pugna, & insequenti, Deorum aut dicta, aut facta minutissimè persequitur Homerus, facile mihi abire silentio permiserim, quia vel superstitionem nimis redolent antiquam, vel certè ad naturalem pertinere videntur philosophiam; Plutarcho interprete in opusculis de audienda poëtica, deque Homero; & ingeniosissimo nuper viro Tarquinio Gallutio Magistro meo in allegorijs Virgilianis. Achillem interea verò, neque donis, neque vltimæ Græcorum calamitati cedentem, mors Patrocli permouit, vt interemptum amicum, & se propter arma vlturus de Hectore, violatum hospitium, raptam Helenam, ipsam beatitatem vindicaret. Dicam sine Homerico fuco, quæ non potuit exhortationibus, ac promissis ab otio excitari animæ pars inferior, tum demum inflammatur: cum ad extrema mortalis deductus miseriarum, suam stomachatus turpitudinem, sibique iratus ipsi de suo torpore, & prælium in animo decernit, &, quæ nostri est

arbitrij

arbitrij potestas, victoriam certissimam. Pugnare iam igitur cum suis non recusat Achilles: sed priùs armis induendus est cœlestibus. sic enim prohibuerat Thetis mater, illum cum Hectore confligere, priùsquam nouis à Vulcano armis impetratis, illum instrueret: quibus à matre donatus ingreditur Achilles in pugnam, nec multùm: fugam capessunt Troiani: ac demum illud intelligunt, ipsis eatenus non suam virtutem, sed Achillis iracundiam dedisse victoriam. Achilli periculoso maximè certamine cum Xantho priùs confligendum fuit, quem opimus erat, fallere, & effugere, triumphus. & hoc primùm genere vincendi est vsus ille sæpè laudatus pedibus Achilles: nec iniuriam suo se nomini facere credidit, si voluptates more torrentium inundantes in ipsum, fugiendo vinceret. quem sequutus est ille magnus Achillis æmulator Alexander: quando Darij filias regiè habitas in regium venire conspectum vetuit: timuitque cum muliebri pulchritudine congredi; qui timorem antea inter armatorum turbas, quid esset, nesciebat. Post hæc maiori cum fortitudinis laude Xanthi repressit audaciam; Vulcano, idest igne, inimicis vndis obiecto. quem


vincendi modum ſine pigmentis Maximus ille Tyrius ſic nos docuit, Voluptas alia aliam trahit, alia cum aliâ cohæret; quæ cum ſemel fluere cœpit, numquam deſinit, numquam inhiberi poteſt: nec aliud ad ſalutem reſtat remedium; quàm fontem ipſum ſiſtere, ortum voluptatis impedire. Geſtiens Achilles victoriâ tam nobili, belli caput aggreditur Hectorem; quem labore fermè nullo, vſura huius lucis priuauit; Troiam tutiſsimo præſidio ſpoliauit. in qua vincendi facilitate, malè reprehenditur Homerus, à Philoſtrato in Heroicis, poſt repreſſos enim libidinum fluctus quà fuga, quà igne, exiguo cum noſtro conatu victoria nobis ſeſe dat in manus. Quid enim ei, qui voluptatum fontem ſic ante ſtiterit, ad profligandum bellum præterea reſtet? Et nos etiam, mortuo Hectore, noſtrum opus peregimus: nam reliqua mihi ſint interim pro parergis, & inani additamento.

Ductorem igitur egregium ad bellum, quod contra voluptates gerimus, ab noſtra Republica exulare iubetis Patres? bonitate cauſæ fretus maius audeo. Hunc, & ſi quem alium eiuſdem eruditionis poëtam, Nocturna verſate manu, verſate diurna, tanto

vcbis


vobis futurum cariorem, quàm olim magno fuerit Alexandro: quanto difficiliùs gerimus nos ciuile bellum contra nos ipsos: quàm ille Macedonum, ideſt virorum fortium instructus exercitu, contra Perſas geſſerit effœminatos, & molles.





ARGVMENTVM

ODYSSAEAE



Victa & incensa iam Troia, Vlysses, cum reditum in patriam nauigatione maritima instituisset; grauia post exantlata pericula, defertur in Ogygiam insulam, vbi regnabat Calypso. quæ amore Vlysis capta, spe nuptiarum, & promissa medicamentorum suorum ope immortalitate pro-

procul ab omni morbo, & dolore, illum patriæ iam oblitum, retinebat apud se. Interim proci Penelopes bona omnia Vlyſsis dilapidabant: & caſtitatem Penelopes ſollicitabant; vt, Vlyſſe non ampliùs expectato, cum aliquo ipſorum nuptias conciliaret. Sed Minerua in Ithacam, Ioue ita volente, deſcendit, ſuaſura Telemacho, vt ad Neſtorem, Menelaümque feſtinet, qui recens domum regreſsi, certi aliquid de Vlyſſe nouiſſent. Paret Telemachus conſilijs Mineruæ, fruſtràque reſiſtẽte Antinoo, procis ignorantibus, ad littus pergit, peregrinationi accõmoda parat,

ſocios cogit, & inſtruit; magna ſemper vſus fortitudine ac ſollicitudine; hortante maximè, & adiuuante Dea; quæ populum, ipſumque Telemachum Mentis Taphiorum Ducis ſimulatione fallebat. Itur ad Neſtorem; quem de Patre percontatus Telemachus, nihil noui accipit ab ignorante: verùm idem inſequenti die, cum Piſiſtrato filio vt ad Menelaüm pergat, hortatur: nec mora facta conſilio, Menelaus aditur; qui Telemachum omnia edocet, quæ circa Patrem ipſius agerentur; quæ quidem Proteus eidem narrauerat, de Græcorum ducibus requirenti. Dum

hæc geruntur à Telemacho, conuocato Deorum concilio, Mercurius in inſulam Ogygiam deuolat: vt Iouis monitis Calypſo conterrita, Vlyſſem patiatur diſcedere; qui, contextu ratis temerè properato, nauigationem ſolus aggreditur. Duodeuigeſima die, tempeſtate commota ex iracundia Neptuni, quòd Polyphemum Cyclopē, ipſius filium Vlyſſes aliàs excœcaſſet, trabium compago diſſoluitur; quo caſu penè rebus omnibus deſperatis Leucotheæ conſilijs & ope inſtructus, nando in Phæacenſium littus nudus exponitur. Hìc dum ſomno ſe reficit, à Nauſicaa


Alcinoi Regis Phæacensium filia offenditur: quæ & natura sua, & occulto Mineruæ instinctu ad misericordiā flexa, naufragum hominem, regia sua veste obtectum, in regiam patris deducit: vbi & conuiuio excipitur regio & Demodoci elegantissimi cātoris modulatione demulcetur: mox lecto excipitur mollissimo. tum etiam in amœnissimum hortum introductus, ludorum militarium spectaculo recreatur: ac demum suæ totius nauigationis historiam retexere suadetur, ac iubetur. Enarratis omnibus, quæ in multiplici errore pertulerat Vlysses, à Principibus Phæaciæ

viris

viris donis plurimis hono-ratur: à quibus remigio, & necessarijs omnibus nauis instruitur. quamquam hæc ipsa per se, nullo dirigente nauarcho, iter tutò dirigere possit ad portum. Dormiens itaque in Ithacam quietissima nauigatione deuehitur Vlysses: atque illic in portu patrio, loco patenti, ac omnibus obuio, exponitur quiescens, & omnium ignarus, cum muneribus vniuersis; quæ in locum reconditiorem collocant Phæacenses, Vlysse dormiente, in patriam regressi. Somno expergitus Vlysses, admiratur, ùt aduectus sit in patriam, ùt expositus, ùt relictus sit. Requirit

dona ſibi facta à Phæacenſibus; quæ poſtquam incolumia videt, quàm poteſt tutiſsimè occultat, conſilijsque à Minerua confirmatus, ad ſeruum ſuum Eumœum ſubulcum ſimulatus accedit: cuius primùm hoſpitio excipitur; tum vili amictu indutus, deducitur ad Ithacam in ſummo montis faſtigio collocatam. Naufragi, & mēdici habitu domum ingreſſus, poſtquàm indoluit, ſua omnia bona procorum inſolentia fuiſſe direpta, eos aggreditur; Telemachoque adiuuante, ad vnum omnes interficit. ſic recuperatis bonis omnibus cum Penelope viuit beatiſsimè.

Con-



CONTEXTVS ODYSSAEAE *ALLEGORICVS.*

Dic mihi Musa virum, captæ post tempora Troiæ.
Qui mores hominum multorum vidit, & Vrbes.

ECce quò vestra deuoluor iterum auctoritate P. & in penetralia semel Diuinitatis introgressus, redire cogor ad humanitatem: & quod peius est, naturæ pondere se nimiùm amantis, delabor in feritatem. De Oddone viro sanctissimo Cluniacensi Abbate memini, me legere, cùm aliquando, animum induxisset lectionem adhibere, ad castissimum illum, ac Partheniuum

Pot-

Poëtarum principem: reuocatum tamen Dei arbitrio; illum ad excelsam quandàm sanctitatem destinantis: cùm per quietem Virgilianæ poëseos formam illi contemplandam expinxisset in vase, opere cœlato pretiosissimo, & ad omnem facto deliciarum vsum: è quo cùm venenatæ animantes erupissent plurimæ, è scorpionum, serpentum, ac draconum genere; illum quidem non sine sibilis, ac terrore in obsidione habebant acerrimâ: sed morsu plagam, ac viam veneno facere ad vitæ sedem, occulta nescio qua vi retardatæ, non audebant. Quid ea visione moneretur ille, intellexit acutè. Miror sanè, me illius cognominem, qui ausus idem sum, quod ille, poëtas attingere, non eorum serpentum pauere morsus acerbissimos, ad quos nulla quidquam possit Aristolochia. Eo igitur vnguento animantes istas perfricabo, quo delibutum Virgilium purum, ac integrum malæ omnis contagionis, fecit vir eius artis scientissimus: quod, ab eodem eruditus magistro, non ante multos menses, ego quoque composui, ad Iliadem Homericam expurgandam. Visus equidem tum fui non malus pharmacopola. placuit hodie eam iterum artem exercere; iterumque id medi-

medicamenti conficere, ad expiandam Odyssæam. Dicam sine allegoria: id enim hodie mihi agendum est, vt Homericas ipsas retexam allegorias; quibus ita diligenter omnia ciuilis, ac moralis philosophiæ præcepta inuoluit acutissimus Poëta, vt Horatij perspicacis profectò viri testimonio, quid pulcrum, quid turpe, quid vtile, quid non pleniùs, ac meliùs Chrysippo, & Crantore dicat. Quod si euicero, illud etiam effecero, non culpam esse poëtarum, si morbum contrahamus ex ipsorum lectione, sed nostram; qui stomacho malè affecto ad eam accedentes, eius cibi soliditatem cōcoquere satis non possumus. At quando mihi hodie sermo bonam partem institutus est ad rhetores meos; quos nondùm fecit rerum experientia cautos: illud eos præmonere habeo; ne meis aliquando medicamentis in spem erigantur, posse se poëtas omnes sine vllo delectu habere in delicijs; &, vt prouerbiò dixere veteres, gremio fouere serpentem sine morum labe, atque contagione turpitudinis. Ità enim aliqui toti, quanti quanti sunt, ex veneno sunt compositi; vt numquam tutus ab ijs esse possis, nisi totos perdas: & integros eos facere desperes à perniciosø

niciofo viru; fi vel minimā particulam relinquas integram, & non omninò conficias. His ità præmonitis, caput iam nos aggrediamur rei; & quid vtilitatis afferat nobis Homericus Vlyffes inquiramus, ad benè beatèque viuendum, ideft cum virtute, fine qua beatitudo ftare non poteft.

Odyffæam cum Iliade in vnum opus committunt multi: fi ad poëticæ lances rem examines, perperam; quæ duos heroës vnico laudari vetat in opere, aut feiuncta facinora vno poëmate defcribi: fi viuendi, quam docet normam ante oculos ponas: affectam in Iliade beatitatem fuis omnibus explet partibus, & ad abfolutionem perducit in Odyffæa. Oculatiffimus enim coecus ille poëta, fagaciter vidit, felicitatem actuofam illam, ad quam inuitauerat in primo opere, non omnes continere numeros cumulatæ beatitudinis: quòd illa effe poffet in iuuenibus virtute promptis ad eas res, quæ viribus geruntur, & fortitudine; defideraretur in ætate ingrauefcenti; in qua prolapfo corporis robore vna maximè viget, longo rerum experimento prudentia. Alteram igitur partem exprimere decreuit in altera tabula; in qua cum ad fummam profperitatem

ritatem adductum Vlyssem expinxit in saxoso illo Ithacæ scopulo, procis deletis, & vindicata Penelope: generatim, ac vniuersè illud hominum genus descripsit; qui debellata voluptate cum Troia voluptaria, annis florentibus, alijsque tùm superatis incommodis; ad eam animi quietem appulere, tamquam ad portum in senectute; quam Stoici desiderarunt quidem in apathia sua; inuenire tamen vbi non esset, aut vbi esset, odorari, non potuerunt. In Iliade tumultu plena sunt omnia, & bellorum strepitu: somnus numquam integer; aures numquam vacuæ à clangoribus tubarum; animus ipse, aut non liber à timore, aut non expeditus à sollicitudine; & manu Achillis adempto Hectore, induciæ quidem sunt, pax nondum est: & vltimam operi manum imponit Homerus; priùsquàm Græci bello imponant finem. vt inde colligas, ad eius esse compositam ætatis exemplar, in qua quietis impatientissima, terminus laborum non figitur. Odyssæa periculorum quidem plena, & incommodorum est: sed à prælijs immunis; & omnia vnica ità superantur Vlyssis prudentia, quæ accedit cum senectute: vt sæpè relictus à socijs fuerit, sine ipsorum culpa, so-

lo Deorum numine: ac demum in patriam reduci, nihil illi reliquum poëta facit ad quietam beatitudinem. In qua re ſapientiorem aliqui dicunt fuiſſe, Virgilium; qui Aeneam ſuum vtriuſque fecerit participem fœlicitatis, primis ſex libris Odyſſæam æmulatus, Iliade adumbrata in poſtremis. Non eſt huius loci, ac temporis inquirere, vter eorum ad rei veritatem ingenioſiùs; an Virgilius, qui per quietæ vitæ munera ſuum Heroa ad actuoſæ virtutis partes peragendas induxerit: an Homerus; qui priùs nos per Troianæ obſidionis exempla induxerit ad operandum; in altero deinde opere, veluti prœmium laboris, propoſuerit quietem. Satis mihi hodie ſit, non accuſato Virgilio, Homericis inſiſtere veſtigijs ad beatitatem. quamquam viæ compendium faciam cum Homero & quæ fusè alij fabulati ſunt de bello Troiano poſt Hectoris mortem, & quæ Vlyſsi acciderunt, antequam eum Calypſo exciperet: quia memorantur ab Homero per epiſodium, differendi non mihi dabunt occaſionem: indè mihi ſit initium, vndè fabulam aggreſſus eſt Homerus.

Poſtquàm igitur multùm eſſet Vlyſſes terris iactatus, & alto vi Superum

ſœui

foeui memorem ob iram Neptuni: ad insulam Ogygiam naufragus defertur: vbi perbenignè hospitio exceptum, Calypso tentauit sibi maritum emere tota immortalitate. Interea patrimonium Vlyssis proci dilapidabant, Telemacho imbelli puero propter ætatis teneritudinem nihil auso contra turbam petulantissimam: Penelope, quod solùm poterat, animi laudabili constantià, ac digna marito Vlysse prudentia procorum peruicacitatem eludente, texenda, retexendaque tela. Miseros nos: quos euersa iam Troia regno voluptatis, adhuc alia voluptatis lenocinia nolentes, & inuitos trahunt ad se: cum quibus tanto difficilius ineundum est certamen: quanto minùs aduersari rationi videntur ac virtuti: cum qua spem faciunt fore aliquando, vt pacem habeant, & amicitiam conciliare possint sempiternam. fuerunt enim aliqui ex antiqua illa sapientum colluuione, quorum caput, ac princeps est Epicurus: qui beatitatem voluptate quidem definirent; sed ea quæ inimica honestati non esset; quam, & sine scelere compararemus, & retineremus innocenter. Sic enim existimant, iucundam ætatem degere nos non posse, nisi prudenter, honeste viuamus, & cum

iusti-

iustitia: sed neque contra sine iucunditatis sensu, vitam esse honestam vllam, aut traduci posse cum prudentia: nullam voluptatem fugiendam esse; cum nulla damnosa sit, nulla scelus ipsa per se trahat: sed causas aliquarum improbabiles esse, ac abijciendas, quæ cum maleficio sunt coniunctæ, & malæ sunt bonæ rei conficientes. Terminum porrò voluptatis extremum illum constituunt: longè ab omni dolore aberrare, remotumque esse maximè ab ijs omnibus rebus; quæ animum aliqua possint ægritudine lacerare, ac metu. vtque nihil non permittant sordidæ corporum voluptati; quam brutæ nobiscum participant animantes: animam immortalem, qua similes Deo dicimur, & sumus, caducam esse peierant; & omninò totam cum corpore interire. Hæc est eius philosophiæ summa; quæ patrocinium suscepit voluptatis; & recepit in se, vt illam in gratiam virtutis aliquando restitueret; irrito labore: nam illa mortali maior conditione, cuius regia in animo est, fastidit abiectam hanc fragilis, & caduci corporis iucunditatem; & cum illa commercium habere dedignatur. quæ si crimen non est, criminum certè pedissequa vel est, vel ductrix, & validissimum

dissimum ad omne flagitium irritamentum. In hunc incurrit scopulum Vlysses, cum incurrit in Ogygiam insulam. nempè satis ille fortiter, ac prudenter contra eas tùm voluptates depugnauerat, quæ in maleficio sunt implicitæ: cum Troiæ in cineres ipsius opera labentis, ne vnum quidem vestigium reliquum fecerat: Troiæ inquam illius, in qua sub propudiosæ Veneris numine maximè vigebat Paris, per violata summa cum infamia hospitij iura, cum Helena adultera viuens voluptariè. Sed qui decennalibus maior laboribus fuit, nullis vmquam fractus periculis, vt voluptates frangeret, capite opposito in discrimina: nymphæ Calypsus irretitus delicijs, ac blandimentis, septem integros annos inglorius latet in antro insulæ Ogygiæ: non voluptatis miles, quod etiam fuisset fortasse tolerandum; si par Hectori per egregia facta rem malam propugnasset: sed effœminatus, otiosus, ab omni virorum consortione remotus, in gynecœo mulierum. Miseret me tui infelix Vlysses, & eò miseret magis, quò tu magis tuarum miseriarum ignarus, minùs alienam expetis misericordiam: & quando te tui non pudet; ego tuo nomine pudorem tui meum repræsentabo. O re-

rerum infelicem commutationem. confer iam te tecum ipse. Tu nè Vlyſſes ille ad Troiam nemini non heroūm par, vix Dijs minor? Mineruæ præſidio tàm formidabilis hoſtibus, ingenij, ac prudentiæ acumine apud tuos ſupra ceteros honoratus, conſiliorum perſpicacia facilè princeps, ſtratagematum, ac militarium machinationum auctor, & faber ſapientiſſimus? Tu ille; cui vni Troianorum ſuffragio arma ſunt Achillis dijudicata? vt vnus tam egregij herois indueres arma; qui iam olim in virtutem Achillis animum induiſſes: Quò nunc Rheſi, cum ſocijs interempti, gloria recidit; & equorum illorum abactionis Troianæ vrbi in vtramque partem fatalium? Quò, è Scœa porta mutatæ ſepulturæ Laomedontis cineribus, corruit honor tibi habitus à tuis, victoriam tunc primò ſperantibus ex oraculo? Ad hanc te vitam reſeruauit ætas maturior? poſt nobile illud è ſummo præſidio furtum Palladij vnici Troianorum præſidij? Huiuſcène turpiſſimi latibuli & nominis, & hominis inter fœminas tibi rudimentum erat gloriosa illa equi Troiani latebra cum ſemideis, & heroibus: ex qua tam latè nomen prodijt reliquorum? Hùc te illuſtris, ac præclaræ famæ virum, hùc
tur-

turpitudinis, ac ignominiæ adduxere voluptates istæ; quas, quià vltrò sese offerunt, non per alienam iniuriam, puræ criminis, & integræ, non tibi repudiandas duxisti; sed mercedem laborum, datam vltrò in manus à Dijs, cum gratijs, cum sensu iucunditatis accipiendas. dumque propinato nectare ægritudinum obliuionem, perfectissimam indolentiam summam beatitatis Epicureæ, & corporis immortalitatem defert Calypso: multiscius licet, nescius tamen fraudum in ijs promissis latentium, obliuionem tui apud omnem posteritatem, & nominis non horres mortalitatem: nec pro tua solita prudentia satis animaduertis, induci te ad desperandum de bonis maioribus: quià firmitas exiguorum bonorum spondetur. si tamen hoc nomine mereretur appellari, quę in sensibus implicitę sunt voluptates. Expressam vidistis in Vlysse, apud Calypso commorante, philosophiam eam; quam supra sine allegoria describebamus, placitam deinde philosophastro cuidam Epicuro, & ex iisdem quisquilijs Cyrenæo Carneadi. Eodem enim nos adigunt dedecorum; in quæ ruit Vlysses: dum verbis magnificis ab omni remouent culpa voluptatem suam: & innocentia orationis summa

ma ita suas caueas tegunt; vt in eas incautos præcipites nos agant, non ante prolabendi timidos; quàm prolapsis, è periculo pedem efferre non liceat. Nequè discrepantiam habent inter sè, Calypso, & Epicurei: dum illa, communicata cum corpore animæ immortalitate; & alteri, denegata illa vtrique hominis parti, idem euincunt: totos nos esse debere in procurando corpore æternitate animæ non impari; cuius voluptates sentiuntur, & titillant magis. Qui error ei maximè obijcitur ætati, quam informandam ad bonos mores suscepit Homerus per Vlysis exempla: quæ, non vt prima adolescentia, cœca fertur in voluptates, tracta potiùs, quàm suo ducta sensu: sed ita ad eas deflectit, vt reprehensionem fugiat, ac ignominiam; & habeat aliquod asylum ab innocentia iucunditatis, & à philosophia, cui magis est idonea; quò se recipere posit opportunè. Inter hæc, Vlysse ita sui suorumque obliuioso; communi Deorum consilio, & Mineruæ monitu, Mentem Taphiorum Regem humana sub imagine simulantis, Telemachus itionem Pylum adornat ad Nestorem, illum de Patre percontaturus: & procis vna voce nequidquam reclamantibus; in publicam

Itha-

Ithacensium concionem ascendit, & memoria patris in tempore refricata, procorum audacia subiecta sub oculos oratione graui, & firma, suarum, ac matris miseriarum expositione flebili, lamentabili demum ad Iouem obsecratione, lacrymis excussis populum omnem ad sui misericordiam adduxit. Nauis ergo instruitur, annona paratur in multos dies, socijque Mineruæ ope, quamuis per Telemachi speciem, colliguntur; insalutata matre, ne eius lacrymis retardaretur; vasis non conclamatis, ne spatium daret procis, aut moræ serendæ, aut insidiarum texendarum, de nocte vna conscia nutrice, anchoras præcidit, soluit è portu, vela facit, illucescente die Pylum appellit felicissimè; vbi per paterni hospitij humanitatem acceptus est à Nestore summo honore, & gratia, cum nihil tamen cognouisset de Vlysse: illum Nestor curru instructum regio cum Pisistrato filio itineris duce dimittit ad Menelaüm: apud quem iterum lacrymabilem de impudentissima procorum confidentia redorditus narrationem; proque filio cognitus herois tam egregij gemitum Menelao excussit, quòd heros amicissimus, qui tam multa in ipsius gratiam, fecisset, & perpessus esset fortia apud

Troiam

Troiam, nullum faceret finem calamitatum. Edocetur igitur ab illo de toto Protei vaticinio, quo & ærumnæ continebantur, quæ ceterorum heroüm reditum exceperant, & Agamemnonis infausta tragœdia, & Orestis de turpi adultero vindicta, & mora longior Vlysis apud nympham Calypso, à qua inuitus detinebatur in delicijs. Benè habet Aud: Vlysi gratulatio iam est adornanda; quòd à filio detectus per oraculum Protei spem aliquando fecerit è vinculis Calypsus erumpendi in antiquam libertatem. magna morbo medicina facta est si latens ipse se morbus aperuit, & voluit medicinam pati. Eius initia felicitatis à Dijs sunt, Homeri hominis superstitiosissimi more; qui dum omnia refert ad Deos, si non illos etiam malorum fecisset auctores, nihil dicere poterat ad christianam, idest numquam fallentem veritatem congruentius. Admirationem verò non mouet homo subinde offendens, aut incurrens in medijs tenebris: minùs mirandum est illud hominum genus, si quando in errorem labitur; quàm si labatur numquam: & tolerandus hic error est in homine christianis sacris ab ignorantia non expiato, qua natura fuit humana

na


na irretita; poſtquàm nimis cupida ſciendi ad vetitam arborem deſiderium extendit, & manum: ſuſtinendus non eſt in ijs; qui, cum illis olim lux affulſerit diuina, luminis impatientes, vltrò ſe in malarum ſententiarum tenebras induxerunt: nec dubitant etiam noſtra Deo flagitia tribuere, ac affirmare ab illo nos cogi ad ipſa parricidia; qui ſeuerìſsimarum pœnarum comminatione deterret nos ab inutilitate verborum. Impudentiſsimi mortalium, itane Deum. ſed quid ego extra chorum. credebam mihi rem eſſe apud theologos. Parcite homini ad grauiora redire affectanti: quamquam placet hæc etiam in pöetis expiſcari: ùt obiter illud intelligatis; tantum ingenij ad hanc etiam artem afferri debere; quantum ad alias diſciplinas omnes, vel etiam de Deo diſſerentes; quarum omnium habet complexionem. Reuertor ad Telemachum, quo igniculi quidam dormientis, ac penè ſepultæ prudentiæ ſignificantur, diuino latenter excitati afflatu: ad quorum tandem lumen, expulſis tenebris, eius voluptatis videamus fœditatem; quam, languidi, ac iacentes in illa, nobis animo finxeramus candidiſsimam. Recepti ergo intra nos ipſos attentiſsima con-

templatione, consiliorum omnium nostrorum, vt comicorum aiebat festiuissimus, senatum cogimus, & omnium animi affectionum: repetitaque miseriarum, ac dedecorum recordatione, post vberem lacrymarum effusionem, post exhaustam omnem verecundiam, ab illis tandem emergere per extrema vitæ pericula generosa fortitudine constituimus. Sed quid mentita Telemachum Pallas per vrbem festinato incedens gradu, ac si res ageretur publica Deorum, socios illi ascribit summa cum diligentia, & feruoris ostentatione? quia nimirum in iis initijs; cum à voluptate suscitamur ad virtutem, multa peragenda sunt humano maiora robore, quæ perfici videntur à nobis, transiguntur à Deo, nescios nos occultis viribus confirmante. Quid igitur non ipsa Dea, quam non latebat Vlysses, certum de patre Telemachum faciat & dispendio parcat itineris, ac periculorum? O sapientiam tuam Homere, penè dixerim, plusquam humanam! Mira res Audit: ita quidam antiquæ superstitionis homines recedunt à vero, vt per rectam viam sæpiùs incedentes deerrare dicendi non essent, nisi tam delicata esset veritas, vt minimus quilibet error illam corrumperet.

Manum

Manum admouenti sunt vocanda numina, vetus est apud Aeschylum prouerbium, laudatum à nobis in Iliade. & tum demum Superi, quæ spectant ad nos faciunt omnia: cùm aliquid etiam nos faciendum suscepimus. Non est ad hanc rem, quòd Pauli meminerim, quòd Cornelij: qui, vt habemus in sacris historijs, à Deo veritatis magistro erudiendi missi sunt ad mortales.

Hæc me de Vlysse longiùs disserentem defecit hora; non vestra Aud: humanitas: quam tamen quia defatigare nimis esset inhumanum: reliqua differre placet in quartum diem; quo bona poëtarum fide expecto vos de reliqua Odyssæa audituros.





CONTEXTVS

ODYSSAEAE

ALLEGORICI

Pars altera.



QVam ante quintum diem non ſine audaciæ reprehenſione, & cum periculo prolapſionis atteceram allegoriam Homericæ Odyſſeæ: verùm iſta frequens panegyris Audientium mihi addit animos, vt proſequar hodie, ſi non profligem omninò, ac ad exitum perducam. Sponſione laceſſiui vos; niſi in quartum diem hic de

de reliqua Odyssæa audiretis; & per bonam poëtarum fidem sanctissimo iureiurádo firmaui sponsionem meam, non cecidi, vt opinor: neque enim accusatores habeo tàm acerbos, ac molestos; vt, quòd vadimonium vnum diem distulerim, solutæ fidei Romanum hominem vocent in iudicium. quàmquam, si iure mecum agere velint, testes producam locupletes, per me non stetisse, & adfuisse me ad dictum diem. Si quis vestrum restipulatus est, ille sponsione victus est: nam ex tanta eorum multitudine, qui me primùm audierunt, quibuscum decertaui, valdè pauci adfuerunt in classem ad vadimonium. Sed vtrique hoc vadimonium alteri condonemus in Vlyssis gratiam; cui cum sit nobis gratulandum, quòd, detectis à filio latebris ope Menelai, in quas illum coniecerat Calypso, spem dederit recuperandæ libertatis id meretur; vt in hilaritate suæ diei bona dentur verba, lite vacent aures, insanaque protinus absint iurgia.

Telemachus, si meministis, igniculi sunt dormientis, ac penè sepultæ prudentiæ; qui diuino latenter excitati afflatu, eam nostro bono nobis inijciunt cogitationem; vt à desidiosa vita, & molli ad virtutém aliquando receptum

habeamus. Itur ergo ad Nestorem primò, senem post ternam transactam iuuentutem, repetita ter senectute prudentissimum: quia per aliena veterum exempla, ab antiquis reuocata historiarum monumentis, primò ducimur ad cognitionem nostri, erigimurque ad voluptatum contemptionem. vtinam non eodem Telemachi euentu: qui nihil ab eo viro de patre resciit. neque enim, vt plurimùm, aut aliena pericula, aut aliena tropæa mouent nos ad insequutionem virtutis: ducunt tamen illa nos ad interiorem rerum nostrarum considerationem: quemadmodum nescius casuum Vlyssis Nestor dat filium Telemacho itineris ducem ad Menelaüm: à quo certissima de patre reportauit. Et congruenter sanè partes hæ à poëta deferuntur Menelao; qui, vti supra innuebamus, & latè disputauimus de Iliade differentes, in hac allegoria partes agit rationis. Quoniam igitur non cœco vnius voluntatis ductu trahebatur ad voluptates Vlysses: alteram animæ facultatem, in qua lumen est sequutus per distortam, & saxosam eius philosophiæ viam, quæ postmodum dicta est Epicurea: vbi semen iactum erat mali, ipsa fuit institutione meliori confor-

manda

manda ratio. id quod efficitur à Proteo veræ, integræque, vt aliàs à me disputatum est, philosophiæ hieroglyphico. Dicam in summa. cum homo diuinitatis instinctu ad virtuté à mollitie se recipere destinauerit. primò secum solus introgressus animæ penetralia, ignauiam suam cum stuporé mentis contemplari, & vehementer dolere: tum per veterum exempla tantæ causas inertiæ diligentiùs inquirere: ab ijs ad certissimas philosophiæ rationes veluti ductus manu, euoluta turpitudine opinionum, quas ignarus, & incautus animo priùs informauerat, medicamentum ei animæ facultati adhibere; quæ reliquarum princeps, morbida si fuerit, numquam non alteras eadem inficiet pestilentia. Discedendũ itaque Vlyssi est: & ferro, sin aliter posit, aurea vincula recidenda; quibus eum Calypso in voluptate detinebat inuitum. Super ea re senatum iterum Deorum Iuppiter habet frequentissimum; in quo, perorante causam Vlysis Minerua, Iouis auctoritate legatus decernitur Deorũ nuncius Mercurius ad Calypso cum seuerissimis mandatis: vt Vlysi rebus omnibus ad iter maritimum necessarijs ornato, in patriam aliquando redeundi potesta-

tem faciat. Nauis in eam rem ædificatur, in cuius constructionem operam non dedignatur Vlysses impendere. frumenti, aquæ, vini tantum in illam infertur: quantum illi vni satis esse possit in multos dies, ventoque immisso prospero Calypsus ope, in altum tēdit. prospera vsus nauigatione ad octauum supra decimum diem: quo die ex Aethiopia redux Neptunus, memor Polyphemi filij excœcati per insidias olim ab Vlysse, nouaque de integro cumulatus ira: quòd homo ipsi inimicissimus tam feliciter per ipsius regna remearet in patriam non sine aliqua ipsius contemptione, horribilem excitat tempestatem; nauem in syrtes affligit, ac scopulos, multo cum Vlyssis miserrimi periculo vitam, & corpus ex acutissima silicis acie medijs in maris fluctibus appendentis. Adfuit in tempore Leucothea oceani nympha; adfuit semper amica Pallas. illa subiecta naufrago tabula, hæc decumano fluctu ad Phæacensium littus naufragum heroëm impellunt. vbi postquam longæ natationis fatigatus laboribus obdormisset aliquantulum: somno solutus obuiam Nausicaam habet Alcinoi filiam; quæ Mineruæ monitu ad mare nuper descenderat, & vestes regias ad coniu-

galem

galem celebritatem à ſordibus purgatura detulerat. perbenignas dat illa naufrago aures, & eius miſerta calamitatum, vt in regium patris venire conſpectum poſsit, à quo aliquid acciperet ærumnarum leuamentum: ablui primùm iubet, tum recreat famelicum cibo, demum veſte donatum non tenui, ad fæmineæ verecundiæ leges longiùs illum ſequi currus ipſius iubet ad vrbem, ad regiam, ad pedes parentum; quorum Vlyſſes experitur clementiam in ſuos, & in hoſpites admirabilem. Præterquam quòd enim eſſet Alcinoüs à natura factus, ac Phæacenſes omnes ad hoſpitalitatem: multum etiã addiderat Minerua occulta impulſione, & ad amorem hoſpitis inflamauerat. Homo nuper naufragus, nudus, rerum omnium inops, ac veluti purgamentum maris eiectus in littus, regio excipitur conuiuio, regijs accumbit in cubilibus tum pretiosè ſtratis, tum etiam ad commoditatem, & ad hortorum amœnitatem fruendam deducitur: ibique ludi committuntur in ipſius gratiam apparatiſſimi; & quinquertium illud nobile Græcorum luditur, curſus, paleſtra, ſaltus, diſcus, pugillatus: muneribus demum cumulatur magnificentiſſimis, rege, reginaque coniuge, &

 nobi-

nobilissimis quibusque Phæacensium, de gratia hospitis promerenda, decertantibus inter se. O humanæ vitæ instabilitatem, quæ tanta vtitur varietate fortunæ! ita ne numquam satis possumus prosperitati fidere: neque res aduersæ ita plenæ sunt desperatione, vt locum spei non relinquant suum: quò magis macerent nos longa expectatione meliorum? Mutuis inter se nectuntur vicissitudinibus; & à felicitate facilis ad naufragium transitus, à naufragio via sæpè est ad iucunditatem. Hanc mortalium euentorum inconstantiam docet quidem nos Vlysses, summa collocatus in quiete, ac rerum omnium vbertate apud Calypso: mox naufragus, fame propemodum enectus, iniurijs obnoxius tempestatum, ac frigoris, nudus, limo sordidus, & humoribus marinis, vilia stramenta, & aridas defatigato corpori supponens frondes; vt per somnum aliquam illi leuissimam quieté daret. mox ab littore ab spelunca ad regiam iter illi est; & regalibus amicitur vestimentis, qui ante ne palliastrum habebat, aut centonem, quo pudorem obduceret: & manus reginam assuetas abluere, famulares habet in sordium purgatione: horrida stramenta stragulis commutat elegantibus;

& fa-

& famem sedat regio in conuiuio, adhibito super mensam cantore Demodoco, habitis à conuiuio ludis: vt nullum regiæ desideraret iucũditatis genus. Quamquá non id vt opinor, spectauit Homerus, qui iuris & æqui seruantissimus numquam irruptionem fecit in aliorum poëtarum fines. Tragædiæ enim illud propositum est; vt alienæ calamitatis expositione duos illos animi nostri purget affectus, commiserationem, ac metum: & ad comœdiam spectat contrarios motus temperare gratulationem, & gaudium. vt quemadmodum ex tragædiarum vsu comparamus nobis æqualitatem animi, qua mala nostra feramus toleranter, ac leuiter, nec vmquam fortunæ ridenti committamus omnia: ita spectandis comœdijs intelligamus, quid sit, quod cum decoro possit nobis risum facere, ac lætitiam; tristitiæque in rebus asperioribus mollioris fortunæ spe moderemur, ac faciamus medicinam. Non id, inquam, voluit Homerus; cum sic Vlyssem à Calypsus diuersorio per naufragium calamitosissimũ deduxit ad hospitium Phæacensium: sed generatim, & vniuersè hominem nobis ob oculos constituit; quem à sordidis nec homine dignis voluptatibus

fugam

fugam capessentem, alia excipit vitæ iucunditas: quæ, quia consistere potest cum virtute beatitatis capite, ipsius beatitatis appendicula dicenda est. Fuerunt enimuerò philosophorum aliqui ita seueri; & ad austeritatem facti, vt semel voluptatibus irati, nomen omne repudiarent iucunditatis; totamque beatitatem vnica virtute, quæ animo continetur, exhaurirent. Nobilitatem & claritudinem generis, bonam prolem, diuitias, & opes, existimationem, & gloriam, amicitiam, gratiamque, totius denique mortalis vitæ prosperitatem; qua & bona comprehenduntur omnia, & felicitatis humanæ suprema perfectio definitur, multis illi damnant rationibus; nec felicitatis esse posse conficientia existimant; quòd vel ad calamitates maximas, vel ad vitia lubricum flexum, & ruinam præcipitem habent. Dumque de bonis fortunæ, quæ sunt extra nos, sic statuunt: non seuerè minùs de commodis etiam ijs decernunt, quæ cum corpore sunt coniuncta, & arctissimè pertingunt ad nos. bonam ij corporis valetudinem, pulchritudinem, & decorem, firmitudinem, & latera, magnitudinem, iustamque proceritatem, commodam denique senectutem tantum

tum abesse pronunciant, vt beatitudinem efficere possint: vt ipsam quoque beatam vitam, velut ex edito loco, in breuia, syrtesque deijciant. Quam de beatitate sententiarum seueritatem non solùm ij apud superstitiosam antiquitatem repudiarunt philosophi Plato, & Aristoteles; qui peccatum posuerunt, ac vitium in hac voluptatum omnium contemptione, ac sensus vacuitate: sed etiam à Christo eruditi sapientes viri; quem, otium suis permisisse discipulis, legimus post aliquam laborum perpesionem. Scilicet non ex robore dolati sumus, aut è saxo sculpti; vt à laboribus numquam deflectamus ad vitæ iucunditatem: sed ex humano sanguine concreti, & ex mortali carne conficti, huic etiam fragili, & caducæ parti debemus prospicere, vt suam habeat partem beatitatis. Corpus hoc terrestre, ac imbecillum non debet nimio luxu, ac cibo pinguescere ad desidiá, aut animari ad scelera per immoderatam omnium oblectationum licentiam: sed tamen datum animæ à rerum omnium procreatore Deo in societatem, vel si mauis in seruitutem nutriendum, ac alendum est. si quid benè fecerit pręmijs, ac muneribus acuendum ad meliora: si

peccet

peccet, ac offendat, supplicio vindicandum ad emendationem: numquam tamen, deperdita spe melioris frugis, conijciendum in carcerem fugitiuorum. Tum huc erit compingendum, cum fugiente anima redditum inutile, detrudendum erit in sepulturam. donec consortionem habent inter se: debet illud huius seruire commoditatibus, non imperijs repugnare: debet hæc illud in aliquam partem vocare felicitatis; & honesta post exantlatos labores recreare voluptate. In hac philosophia Vlysses est, in Alcinoi regia, cum conuiuio excipitur opulento, cum suauitate demulcetur cantus Demodoci, cum in lecto collocatur geniali, cum ad hortorum descendit amœnitatem, cum spectaculum illi præbetur pulcherrimum herois oculis militarium ludorum, cum per summam Phæacensium liberalitatem donis ornatur, atque adeò oneratur amplissimis. Nihil in ea regia turpe, sordidum nihil. fœminæ aut legitimis nuptæ connubijs, aut virgines pudore, & ingenua timiditate cum viris esse abnuentes, pudicitiæ custodes acerrimæ. Talem hospitem, ac tantum secum haberet Alcinoüs libenter; apud Phæacenses si domicilium collocare
non

non dedignaretur,& venerationem à rege haberet summam: nemo tamen in concilio frequentissimo mentionem eius rei facit; omnes in eam sententiam communi suffragio discedunt; vt honorifice habitum, & muneribus auctum hospitalibus, qua ipsi pollebant maxime nauigandi arte, remittant in patriam. Vnde illud intelligendo comprehendas, in hisce fortunæ bonis, & corporis, quæ fallacibus conuersionibus obnoxia sunt, & ætati subijciuntur rerum omnium fugacissimæ, non esse apicem beatitatis; cuius ea prima conditio est; vt stabilis sit, ac firma; sed in ea virtute, in ornamentis animi; quæ nemo auferat à nobis non volentibus, quæ citra controuersiam omnem felicitatem efficiunt. Pro diuersorio, ac tridui hospitio vtitur Alcinoi regia Vlysses, ad nostrum omnium documentum; posse nos aliquando ad laudabiles corporis voluptates diuertere: sedem in ijs figere, homini per virtutem grassanti ad beatitatem non licere.

Probatur, vti conijcio, ex vultu rhetoricis meis hæc mea oratio; quibus, vt sunt studiosissimi virtutis, in ætate florenti voluptatum amica, placet hoc effatum sapientiæ; posse scilicet

licet couciliari cum virtute iucunditatem: id quod superiori oratione, videbamur desperasse. Sed quàm vereor, ne dulce hoc nomen illis iterum illudat, non ijs delibutis medicamentis, quæ adhibet Homerus Vlyssi homo sapientissimus, & venenum incauti propinent cum liquidæ voluptatis dulcedine. Per naufragium rerum omnium; quas ei dederat Calypso ad hanc felicitatis partem appellit Vlysses. Naui ad scopulos fracta iactabatur toto miser oceano, mox deuorandus à fluctibus, nisi Leucotheę salutaribus vsus consilijs, vestem ipsam, qua vna induebatur, munerum Calypsus è sæuissima tempestate reliquias, diloricasset, discissamque, velut impedimentum natandi grauissimum, procul abijceret à se. Tabulam eadem dat illi in manus è naufragio; cui superpositus, & requiesceret à natando, & eiusdem ope, decumanos fluctus tranaret ad littus: hanc vnam salutis anchoram quoque, cum primùm expulsus fuerit in terram, in mare iubet illum iterum deturbare: vt nihil esset residuum ex ijs, quæ aliquando possent Calypsus memoriam refricare: quam qui meminit, facere non potest, quin suspi-
ret

ret, & expetat: qui eam animo tantùm expetijt, tantis interuallis distat à virtute, quanto spatio altér quicumque, qui etiam corpore repetijt. Neque satis hæc sunt, vt Vlysses expiatus à malarum voluptatum tæditate, admitti possit ad honestas sine periculo: nisi Nausicaæ iussu aqua dulciori à sordibus omnibus abluatur; quas è salsitudine pelagi contraxerat. Et iactet hic aliquis inaniter se in laudabili apud Alcinoüm voluptate; qui nondum Calypso deseruerit? aut certe non omnino ijs se vinculis soluerit, quibus facilè retrahi posit in carcerem? Arctissimum vinculum est leuis quæcumque memoria prçteritæ voluptatis; & quodcumque demum illud sit, quod illam reuocare possit in mentem; si naufragio non pereat fortunato. Puræ, & integræ voluptates illæ non sunt; quæ pertingunt sordidatum: & habet hoc omnis voluptas, vt facilè labem inurat, ac recipiat: ac si turpis ipsa sit maculis etiam aspergat recipientem: eadem facilitate, si casta sit, concipiat turpitudinem ab homine inquinato. Sed quando semel facere cœpit oratio mea iuuenum ne simplicitati, an impudentiæ medicinam: ne sçpiùs hu-
ius

ius dulcedine nominis decipiantur incauti: permittite, me aliquam ex Homero ijs indicare rationem, qua turpes, ac repudiandas omninò voluptates secernant ab honestis. Dico igitur, iucunditatem eam, quæ tota in sensibus implicita est, & nullum habet à ratiocinatione, ac mentis consilio subsidium, quam brutæ nobiscum etiam participant animantes, homine indignam esse; & ab ea, nobis effictis ad imaginem omnipotentis Dei, abstinendum; quæ abijciat nos ad bestiarum similitudinem. Conuiuij regij splendor, non luxus; musici cantus suauitas, hortorum amœnitas, celebritas spectaculorum, hospitalis munificentia quia belluarum rationis expertem sensum titillare non possunt, nec sine rationis vsu oblectant nos, cum laude illiciunt Vlyssem ad aliquod miseriarum leuamentum. Ad hæc voluptates quædam inanes, ac steriles, quæ solùm sentiuntur cum sunt presentes; quæ, cum liquidæ semel effluxerint, nullum relinquunt vestigium sui; dedecus imprimunt homini prouidentiæ, ac mentis capaci ad futura prospicienda. Ludi illi in hortis Alcinoi militię sunt ludicra quædam meditatio, ac veri mox certaminis

taminis rudimentum. Cantilena illa Demodoci ad mensam adhibita refer-ta laudibus heroüm, ad eandem gloriam per eorum imitationem in-uitamentum est: vt dum cibo pro-curatur corpus ad labores, ieiuna non sit mens; & ipsa se quodammodo ad egregia facinora procuret alienis exemplis. Largitas illa munerum tam liberalis, vel ipsa per se virtus est, vel ad amicitiam seruandam conducit, & facit maximè: qua nihil humanæ naturæ societatem amanti aptum ma-gis, nil magis conueniens datum est ab immortali Deo: vt iàm admira-tionem ponas; si in hortis illis non odorum suauitate tantùm capiantur nares, aut varietate colorum in flo-ribus oblectentur tantùm oculi: vbi non solùm habeas admirari quandam naturæ diligentiam in ijs elaborandis se macerantis, & colonos: sed om-nis locus arboribus sit satus fructife-ris; quarum vbertas, ac feracitas num-quam in flores, ac frondes sine fru-ctu luxuriet. Denium illas volupta-tes, quas affabrè descripsit Lysiteles apud Plautum, blandiloquentulas, har-pagones, mendaces, auaras, elegan-tes despoliatrices, latebricolarum hominum corruptrices blandas, ino-


pes

pes, cælati indagatrices, si sapis, id-est, si homo es, cum eodem Lysitele mille modis ignora, procul adhibe, atque abstine; neque tibi amicas vnquam fieri permittas: in summa suas res, idest ignominiam, fortunarum iacturam, summum dolorem sibi habere iube. à Calypsus littore longè nauim age; quæ per nuptias, & fallaces pollicitationes secum diutiùs inducat te commorari. naufragus potes te ad Phæacenses recipere, qui summa ope te remittant in tua: id-est ad virtutem, & gloriam, opibus auctum, breuissima mora recreatum ab itinere.

Dùm hæc ego sic disputo, oratione ipse flagellor mea; quòd iusto diutiùs detineam vos in poëticis Homeri delicijs. Ire per me licet. Quatuor rebus vestris, idest serijs, date integros dies; intermittetis quinto mecum, si placet, ab hortis Alcinoi non minori cum iucunditate, cum vtilitate maiori decessuri ad antrum Ithacense nympharum.



Con-



CONTEXTVS ODYSSAEAE ALLEGORICI.

Pars Tertia.

SEmper equidem Homerum ingeniosissimum hominem sum demiratus Aud: debitaq; poëtarum parentem, ac principem veneratione prosequutus, Aristarchorum quorundam stomachor insolentiam; qui, vt sibi nomen faciant magnificum apud ignarum vulgus, ac rude, nomen tam clari viri ne publicè lacerent, ac palam, reueriti non sunt. Sed vt ille per se magnus laudibus non crescit alienis: ita nec inuidis diminuitur reprehensionibus. facere tamen non possum, quin aliquantùm animo commouear: cum apud ipsum putidissima quædam

quædam relego figmenta; quę si credibilia se facere posse confidit aliquando: nimis ille præ se ſtolidos ceteros cogitatione sibi homines informauit vniuersos. Bardus ille fuit admodum, & incredibili ſtupiditate oppressus: si in epico poëmate verisimilitudinis tenacissimo ea inclusit; quæ neque vnquam facta ipse credat, neque fieri posse homo minimi sensus particeps sibi facilè persuaserit. Ineunt aliquam eius defendendi rationem multi ab ijs temporibus, quibus ipse scripsit, rudibus, ac impolitis: nec mirum esse volunt, si nos, vsu paulatim condocefacti ad mansuetiorem quandam politiam, irrideamus in Homero multa; quæ tunc fuisse vulgaria, dubitare nos non permittunt scriptores ij; qui primorum temporum memoriam ad historiæ fidem, non àd poëticæ licentiam oblectationis transmiserunt ad posteros. In laude ponunt Homero; si quam ipse correctionem adhibuerit ex ingenio temporibus suis: non accusant de ſtupiditate, si quid ipse agreſtem eorumdem sequutus viuendi rationem, offenderit. Accusationem, qui sic pro Homero dicit, non tollit; sed excusatione purgat probabili; ne crimini detur vni cōmune viuen-

di

di omnium institutum. Qui cum Horatio in Poëtas, ac in Homerum presertim indulgentiores sunt; & opere in longo fas esse volunt, obrepere somnum, eam dant alijs peccandi veniam, quam vicissim ipsi petunt sibi. Permitto alijs eas magnificas voces, sibi satiùs esse cum summis in sua facultate principibus viris errare: quàm cum vulgaribus hominibus à minima refugere culpæ suspicione. Quidquid id est, Quandoque bonus dormitat Homerus. Et quidem qua tùm sepultus fuit somni profunditate; cum Vlyssem in Pheæacensium nauim vix receptum, in soporem collocat altissimum; & Heroëm, vigilantissimum hominum genus, integram noctem dormientem facit: quem ita consopitum exponunt in terram Phæacenses, & ad oleæ radices in propinquo consitæ donis depositis; insalutatum relinquunt sub dio; cœli, ac ferarum obnoxium iniurijs; quem antea tantis exceperant honoribus. quo nouo genere officij quid sibi voluerint non satis intelligo: nisi si iustam abitione tàm subita gratiarum condonare vel inuito voluerint actionem. Et gratias quidem ambitiosissima liberalitate reiecistis ò Phæacenses: sed

miseri, simul hospitij magnificentissimi gratiam perdidistis. nempè, vt nihil ille soluere videretur pro vectura, ne verba quidem pauca, quorum apud homines nulla est auaritia; egregiam beneficentiam corrupistis ad finem. cum laude praeciditur ei, cui semel benefeceris, occasio referendae mercedis: non sine vitio tamen iustę datur eidem occasio querelae. in nudo, desertoque littore hominem collocastis sopore oppressum profundo; nec illi timetis à bestiarum incursionibus, aut à facinorosis hominibus? dum interim studiosiùs multo ab oculis remouetis, quę in illum congessistis dona, ne prędę pateant praetereuntium. Quę ista est humanitas, muneribus accuratè prospicere: adeò negligenter eius, ad quem pertineant, curare securitatem? Vita incolumis, ac tuta aliquid est sine diuitijs: diuitijs fruitur nemo sine vita. hanc illi ab omni periculo vacuam pręstare debuistis priùs, si quidquam sapiebatis: secunda esse debuerat de opibus cogitatio. Qui sic immemores fecit suarum partium Phaeacenses: Vlyssem etiam non magis descripsit officiosum; vt de eodem poculo ijs propinaret, quemadmodum est in prouerbijs

bijs, de quo ipſe plurimùm potaue-
rat. Excitatus aliquando tandem, dor-
miendo defeſſus, à ſomno tam lon-
go; vt Phæacenſibus ad Alcinoüm,
reuertendi tempus dederit; maledi-
ctis, ac probris homines inſequitur
aduersùm ſe beneficentiſſimos. præ-
clarum ſanè mercedis genus ijs; qui
laboris pretium non expectarunt. tùm
cogitatione conuerſus ad hoſpitalia,
dona, cum ſalua, atq; integra ſibi vi-
det omnia, triſtitiam quidem ſuam,
& horrorem à ſolitudine conceptum
non expectata hilaritate condiuit: a-
cri tamen aduerſus Phæacenſes ho-
mines probatæ beneficentiæ, ac fi-
dei, non temperauit iracundiæ. His
ita moribus imbuit peruerſiſſimis Ho-
merus homines illos; quos in bona,
ſui carminis luce collocauit ad imi-
tationem: apud quos maior eſt opum
cura, quàm eorum, in quibus huma-
nitas eſt, officiorum. Sed ea officio-
rum prauitas incredibilis longè meo
iudicio ſuperatur ab eo palmari men-
dacio; quo ſenſum, quo rationem,
nauibus impertit Phæacenſium, mul-
to, ſi Deo placet, acriorem huma-
na. Sic enim de illis gloriosè præ-
dicat Alcinoüs, neque gubernatoris
eas deſiderare manum, neque gu-

 ber-

bernaculo torqueri, quò nauarcho libuerit: sed ipsas per se in occultissimas penetrare nautarum voluntates, patriam vniuscuiusque optimè tenere, & periculorum securas, ac naufragij, eò loci cursum ipsas dirigere velocissimo itinere; quem quisque vectorum sibi ante animo destinarit. Miserrimo illi mortalium, in tàm incerta sæpiùs misso vitæ discrimina, hæc omnino nauis erit opportuna: vt fugientem patriam, nequidquam per mortem ipsam tantis jsequutus naufragijs, assequatur aliquando. Ne longiùs faciam ex interprete defensoris partes non suscipio; neque enim affero ad asserendam earum rerum probabilitatem, quæ sibi fecerint antiquæ superstitionis homines credibilia, de auibus, ac feris futurorum præscijs; de antris, ac quercubus mortali voce oracula certissima edentibus, & consulentes edocentibus sine vllo errandi metu, quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur. Sed aliquam tamen interpretando rationem inibo; qua insignem aliquam sua dignam sapientia sententiam intexuit Homerus; vt risum in eius fabulæ vanitate teneatis. Homini præscriptum eum fuisse

ſe finem à natura, vt cum virtute viuat, nemo fuit, quòd ego viderim, veterum philoſophorum, qui non affirmatè, ſanctèque pronunciauerit. in eo diſſentiunt inter ſe quòd naturam nouercæ nomine accuſant multi: quam aſſerunt inimicam hominibus, illos ſupra ipſorum vires multis oneraſſe impedimentis; vt difficillimum faceret virtutis pulſare fores, ſummis collocatas in iugis, aſcenſu arduo, ac ſaxoſo. Quæ (inquiunt alij de natura ſentientes æquiùs) iſta eſſet inuidia; templum illud auguſtum beatitatis, extento veluti digito, demonſtrare, & inuitare ad aſcenſum: eodemque momento iter contendere volentes multis conatibus retrahere; & in proximum vitiorum gurgitem præcipites dare? eò miſeriùs quia ſemel deſiderium commotum eſt inſpectæ felicitatis. vt mala ſit, vt peruerſa falſo iſtorum iudicio natura: numquam enimuero tàm fallax fingi cum aliqua veritatis vmbra, tàm ſimulata poteſt. Ad naturę leges ſcriptas in animis viuere, viuere ſecundum virtutem eſt, inquit Zeno: eas quæ ſanciuit omnium parens, eadem vt ſacroſanctè ſeruemus, & ſtimulis interius admotis concitat, & multis

præsidijs instruit: nec vmquam cessat peccantes conscientiæ facibus castigare, ac veluti magnis clamoribus deerrantes in viam reducere. Natura ipsa per se bona est: nos ingrata soboles malam illi consuetudinem induximus nouercam: & pessimam adulteram in naturæ nomen immisimus. eius armatam viribus, indutam ornamentis. Natura qui nos trahi credit ad mala, idem profiteatur necesse est, à Deo impelli nos ad peccata: quamuis enim non omnino verè dicatur illud à Seneca, naturam, ac Deum nomine quidem distare, re idem esse: nihilominus tamen rei malæ auctor esse non potest auctor naturæ. Hæc est Phæacensium nauis Audæ cui si nostrum permittimus iter dirigendum, neque velis, remisque deflectamus aliò, facilè nos in patriam ducet ad felicitatem. Impellit ergo nos ad virtutem natura; sed tùm impellit, cùm quieti, consopitis omnibus perturbationibus, somno nos concedimus præclarissimo: cùm nulli metus terrent, nullæ ægritudines exedunt, nullæ libidines incitant, nullæ futiles lætitiæ exultantes languidis liquefaciunt voluptatibus. In hac maris malacia nihil

nihil est fraudum nihil periculorum? Quemadmodum enim quiescentibus ventis in summa tranquillitate securum præbet iter mare nauigantibus: ita nulla motus animus perturbatione, tutissimo, ac breui cursu contendit ad virtutem. Refractariam sortitos aliqui se conqueruntur, ac impatientem frœni naturam, procliuem ad vitia, facilem ad peccata, seruientem libidinibus, laboris fugientem; quem imbecillis, ac infirmis viribus ferre, etiamsi velint, non possint; proiectos se fuisse ad ignauiam, & desidiam; atque adeò otio se non volentes dicto sacramento consecrasse. ingenium hebes, ac tardum dolet alter, qui nihil vnquam assequitur in studio litterarum. memoriam sibi facere se non potuisse; quam accepetit à parente tardiorem illam quidem ad ea percipienda, quę illi cómendauerit: sed postquam multo conatu, ac totis viribus animo rem quampiam informauerit, celerrimam obliuisci. Fregisti aliquando humanitatis officia, & in amicos peccasti, nec familiaritati, quod debebas, repræsentasti? in culpa est tuo iudicio natura; quæ te genuit stupidiorem ad hasce res, non attentum, faci-

lem quacumque cogitatione distineri, & ab ijs ipsis, quæ ante oculos obuersantur, distrahi. Illa te timidiorem fecit ad pericula; angusti animi, ac pusilli ad aggredienda fortia pecuniarum supra modum tenacem; ad libidinem, & in venerem vehementem, in omnibus sensuum, & corporatis oblectationibns intemperantem, iræ immodicum, acrem nimis, ac inexorabilem! Illa te bonis voluit aliorum inuidere, ac macrescere, in malis nancisci causam hilaritatis, mæroribus opprimi, & insolenti rerum omnium fastidio intabescere! Miseram, ac infelicem humanæ naturæ conditionem! quæ si aliquo nos impertiuit bono, nullas habet à nobis gratiàs; & interim nostrorum omnium errorum ferre cogitur, ac sustinere onus reprehensionis. Didici equidem è sacris litteris, ingenio nos primùm fuisse imbutos innocenti, & ad virtutem facto, vitiorum nominis ipsius ignaro: tum peccante Adamo hunc ordinem pulcherrimum immutatum, ac perturbatum fuisse: vtque semel ille obedientiam abiecerit Dei: ita appetitus nostros rationi parere recusasse; cui naturæ lege subiecti sunt. Ex illo capite in tam varia ingenia factam

ctam fuisse humanæ naturæ distractionem; quorum nulla sine vitio sint, & aliqua deformitate. Non eius ego felicitatis retracto desiderium, & dolorem: sed illud tamen assero non dubitanter, non fuisse in poenas mortalium seueriorem Deum: quàm fuerit aduersùs felicissimas olim métes à corporea concretione secretas; quas intoleranda elatas contumacia, & diuinitate maius quiddam cogitantes, dum præcipites deturbauit ad orcum, non ijs despoliauit bonis; quę cum ipsa inseruerat natura. neque nos ijs destituimur ad virtutem pręsidijs, quibus abundauit à Deo primus noster parens. Nullius tàm malùm est ingenium, vt si velit ille, non multos habeat in eo latentes, & acres ad rectè viuendum aculeos. Verè enim dictum illud est de vario soli cultu, & habitu.

Nec verò terræ ferre omnes omnia possunt:
Fluminibus salices, crassisque paludibus alni
Nascuntur steriles, saxosis montibus orni:
Littora myrtetis lætissima: denique apertos
Bacchus amat colles, aquilonem &

& frigora taxi.

Aspice & extremis domitum cultoribus orbem,
Eoasque domos Arabum, pictosque Gelonos.
Diuisæ arboribus patriæ: sola India nigram
Fert ebenum: solis est thurea virga Sabæis.

idem accidit in hominum natura; quorum nulla est ita virtutum sterilis; vt si culturam adhibere velis, & laborem, non multorum sit bonorum feracissima. Quàm multos legimus flores; siue ad oblectamentum, siue ad medicamenta conficienda, quam multas herbas nõ mortali manu satas in asperrimis montium iugis, inter saxa, & silices, in cinere, in medijs penè dixerim ignibus, in Aetna? Qui naturam accusat, & sterilitatem soli; desidiam, opinor, ille suam potiùs necesse habet excusare. Non ad vnam rem omnes facti sumus: sed neque vna virtus est, neque vnica ad felicitatem via. Sagax illa nauis, & consilij particeps, quæ Ithacam reportauit Vlyssem, diuersis itineribus, ac omnino contrarijs multos ante fortasse alios patriæ, ac felicitati longè ab Ithaca restituerat.

Quam

Quam insistamus ad felicitatem viam, qua grassemur ad quietem, virtute, ad naturam nostrā cōsilium est omne reuocandum : ad cuiuscumque enim instituti rationem constituendam maximam vim habet natura, vt constare possimus in vitæ perpetuitate. Constitutionem sortitus es melancholicam, & larga bilis atræ infusione perpetuo te natura mœrori damnauit? erexit illa te, si nescis, ad sui contemplationem : & si mentem intenderis ad studia philosophię; gloriam tibi spondet à sapientia non vulgarem. Iniquitatem accusas naturæ : quòd inertis, ac pigræ pituitæ nimio humore intelligēdi facultatem extinxerit, & bonam vitæ partem tuæ somno emancipauerit? at illa, non vides, consiliorum tarditas, & ad res peragendas cunctatio, quantum attulerit sæpè momenti ad euentorum felicitatem? quàm breuissimum habuit iter Fabius ad victoriam cunctando! quantum gloriarum habuit in illo ipso nomine cunctatoris! Ad qualem porrò, & quantam es factus eloquentiam : si tibi puri, ac defæcati sanguinis affluentia nomen composuit, & naturam non tu ad humanitatis officia tardus

 eris

eris, ad conglutinandas amicitias difficilis, nec indiligens in conſeruandis: promptus præterea ad iniuriarum obliuionem, ad vltionem lentus, delitiæ tuorum, amor exterorum, omnium feſtiuitas. Gratulor enimuerò tibi, quòd, cum commune natura tibi deſiderium inſeruerit ſocialis vitæ, tantis ad obtinendam cum omnibus coniunctionem præſidijs adornauerit. Quos alijs non vltrò defert honorum gradus in ſago ignis ille indignationis facilis exardeſcere in ijs, quos à flaua bili Greco nomine diximus cholericos? ille impetus animi, qui commotione facillima efferueſcit; illa iniuriarum impatientia, & ad lædendos alios ſecura quædam procliuitas; ille velox inceſſus nulla lege temperatus, illa ſermonis volubilitas, & clamoſa vox index ſuperbiæ, illa ceterorum hominum geſtibus expreſſa deſpicientia, non militem dicit, non militem facit? quid inquam militem? non ſummum ducem, non egregium imperatorem? Qui de ſingulis naturarum generibus ſic diſputo, non illud ignoro, nemini conſtitutionem vnico ſolùm humore compoſitam obuenire; ſed ex eorum commixtione hominum

minum ingenia coagmentari: hęc tamen ità disputaui, vt intelligeretis, neminem vnum esse, qui, si velit, nõ ad aliquam virtutem sit natus. Vt sub diuerso coelo nascimur, & viuimus: ità varia naturæ inflexione ad morum trahimur diuersitatem: sed neque vlla natio est, quæ non aliquid habeat, quod illam in alterius inuidiam adducat. Laudari semper ego audiui consilium illud Caroli Austriaci Imperatoris eius nominis quinti; vt exercitum haberet ex varijs collectum prouincijs; & penè terrarum orbem vniuersum in suam militiam transcriberet. Desiderabat Italos ad strategemata militaria, ad fraudes, ad insidias, in summa, vt multos in suis copijs Vlysses numeraret. Ad statariam pugnam Germanos eligebat; quibus vitæ contemptio, & naturalis quędam audacia, vt eumdem seruarent locum in acie, suadebant. Gallos bellacissimum hominum genus, in primis collocabat ordinibus, ad subitas impressiones, & ad hostilem aciem primi violentia impetus perturbandam. Hispanos disciplinæ militaris supra modum tenaces, cibi, potusque parcos, constantes in proposito ad

longas

longas obſidiones, ad arcium, ac præſidiorum cuſtodiam, in triarios redigebat, nulla temporis longitudine frangendos. Exceptum te iniquo ſidere conquereris adhuc à Matre, rubentem? at quantùm ex poëtis noſtris potui de ea fallaciſsima arte addiſcere: nullum eſt ſidus tàm peſtilentis afflatus, vt etiam multa non expiret bona. Aries diuitijs elargitis vberrimè animos tibi facit ad magnificentiam: ad conſtantiam Taurus erigit: ad mitiores muſas duces tibi ſunt Gemini: in mercatura Cancer ſpondet felicitatem: ad bellum tibi rugitus edit ingentes Leo: pudicitiam inſtillat Virgo, & caſtitatem corporis, ac verborum: Libra deterret ab iniuſtitia: rectæ vrbium te moderationi deſignat Scorpius: artem docet ſemiuir Chiron militarem: caſus videre iubet marinos Capricornus: piſces opinor Vlyſſi arriſere naſcenti, qui ſic illum fecere doloſum, & audaciorem ad pericula: demum, quod ſummum, ac primum eſt in omni genere felicitatis, probitatem Aquarius infundit, ſanctitatem, integritatem morum. Damna nunc, ſi potes, ſi audes, ſidera tàm fortunata: nullum quocumque

que nomire vocabis reum : quod virtutibus ingentibus, si quod habeat vitium, non abundè compensauerit. Agite igitur per istam vestram indolem, quam habetis optimam, adolescentes optimi, permittite vos naturæ vestræ expásis velis ad immortalitatem nauiganti. illam consulite, in quam artem gloriæ, ac quietis deflectatis; & nefas putate, vento ad patriam, ad beatitatem tam prosperè afflanti non velificari. Quis tam hebes nunc, ac securus felicitatis suæ, qui desperet illam in optimo aliquo vitæ instituto? Non te fecit acrem ad bella cum Romulo natura? non vt olim Tullo militarem prudentiam, & sagaces curas animo impressit? Regnauit Romæ quoque pacis artibus, & religionis Numa: regnauit publicæ assertor libertatis Priscus Tarquinius: regnauit reipublicæ distribuendæ primus auctor Seruius: regnauit Ancus ædificator. Desperas ternos de tribus orbis partibus triumphos, & datum Pompeio Magni nomen? Floruit etiam eodem tempore florente republica Tullius Cicero;

Illud, laurigeros ageres cum Roma triumphos:

Hoc

Hoc tibi Roma caput, cum loquereris erat.

cui sunt vni decretæ in toga supplicationes triumphi prærogatiua, & glorioso magis fortasse nomine dictus est primus patriæ pater. Quæ nuper exempla publicis honoribus cohonestatæ sapientiæ reuocasti tu Virgini Cæsarine tuæ olim Romæ decus, & deliciæ, nunc luctus, & mœror. Conuicisti tu in vrbe sagata posse statuas etiam mereri pacatam sapientiam: ne vmquam posthac aliquis desperet vel in deplorata valetudine felicitatem, & gloriam. Et ad felicitatem tu quidem appulisti: cum ad sapientiam tàm breui cursu, & naturæ ductu, & summo labore tuam nauim admouisti. vtinam hanc vnam non recenseres in laudibus tuis, quòd imbecillæ, ac afflictæ sanitatis vir in tenera iuuentute tantùm profeceris in litteris; quantùm is debuit profecisse, quem populus Romanus parentalibus de publico, & statua non gregali, quæ tibi vni decreta est à laude sapientiæ, proponeretur incitamentum posteris ad sapientiam. Mortuus vel in extrema senectute has, & honoris, & amoris significationes non desiderasses.

deraſſes; & habuiſſes plures ab optimo Pontifice viuus & à populo Romano. Sed hunc importunum eiulatum dimittamus ne à ſomno nos Vlyſsem excitemus: neque enim otioſus eſt, qui fætus eſt ingenti ſapientia.

At meliùs fortaſſe fuerit dormire etiam nos cum Vlyſſe: nam abſona hæc mea vox, & abſurda alicui fortaſse ſomnum conciliauerit; Sic eſt ad inſulſam orationem dormitamus ſtatim, coacti rei intereſſe, quæ oblectationem non faciat. Ite igitur, ſique ſomnus reliquerit vos, in diem tertium, ad ſextam feriam hic vos expecto, quæ finem imponet laboribus meis, & Odyſſææ contextui allegorico.




Con-



CONTEXTVS ODYSSAEAE ALLEGORICI

Pars Quarta.



INiuriam fecisse sum visus ijs, qui me nuper audierunt: quòd eos inuitauerim, &, si Deo etiam placet, absurda mea voce dederim in soporem, non priùs illo soluendos: quàm post tertium diem dormiens huc illos Vlysses reuocaret. Equidem scio, nullam rem homini perniciosiorem ea, quæ auferat non sen-

ſentientibus, quod habemus in vita pretioſiſsimum. Magnum hoc vitium ſomno eſt, tempus captat primùm: inſidioſus latro eſt, vt vnica in re, animam, & corpus expilet omninò. Tres integros dies dormire homines ſolertiſsimos, & iacturam fieri vigiliarum doctiſsimarum? quæ me intemperiæ?

Mallius indulget ſomno nocteſque, dieſque;
Inſomnis Pharius ſacra, profana rapit.
Omnibus hoc Italæ gentes expoſcite votis:
Mallius vt vigilet; dormiat vt Pharius.

Votum olim Claudiani fuit proque ijs hominibus, quorum ſtudia ſic mutari decuiſſet: veſtras vigilias perturbari non placet, quas imperat vobis, quæ vos in vigilia manere iuſſit, ſapientia: in vigilia, inquam, laborum veſtrorum, vt omni ex parte, qua ipſius amplificari poſsit imperium, proſpiciatis. Sed dum ego tàm altè video dormientem Vlyſſem in Phæacenſium naui: animum ſic induco meum, ſomnum rem eſſe dignam homine etiam ex Heroüm genere. & ſanè non ſopor omnis otioſus

tiosus est, & malus. Epimenidem solidos annos septem supra quinquaginta clam in spelunca obdormisse, refert Laërtius. Zoroastrum antiquiorem latuisse viginti, vt dormiret opinor, memorant alij; nimirum in otio, ac solitudine obstrepentis vitæ negocijs absoluti, ea solummodò animo reuoluerunt; quæ pulcherrima fecit in rerum vniuersitate naturā; principia, & causas earum rerum abditas, & immersas procul ab oculis vulgi penitùs expiscati. Illud idem agebat dormiens Vlysses, vt virtutum cumulo reliquarum adderet philosophiam de natura, complementum felicitatis suæ. Vt hanc fuisse mentem Homeri credam: facit ipsa Philosophiæ Minerua preses; quæ post illum somnum non, vt aliàs, latenter, sed apertè, ac palam confessa Deam, qualisq; videri Cœlicolis, & quanta solet, se, numquam ante oculis tàm clara, videndam obtulit: & certa sui promissione auxilij ad futuras difficultates animauit. Ipsum illud antrum in Ithacési portu, nobilem nympharum domum, vbi fluminum elegantes vrnæ liquorem abundè dispensant, vbi Naiades purpureas acu telas intexunt, vbi apes sua-

ſuauiſſimè depaſcuntur, ac nymphas operum molitrices ſuo ipſæ rore ſuſtentant: nuper etiam ex ijs aliquis, qui me audiunt, ad ſapientiam detorſit: cum ſapientiæ pompam explicaret publicè: eumdemque fecit portum Vlyſſi è longiſſima nauigatione reuertenti, ac ſapientiæ ſuæ poſt iter triennij in Barberino patrocinio, velut in tutiſſima ſtatione, anchoram defigenti. O prudentiam tuam Homere ſingularem: ad hunc ſapientiæ portum ſopitus appellit Vlyſſes: vt, quicumque philoſophiam cogitat, rei pulcherrimæ adeptionem deſperet, non ab omni abſtractus negotiorum mole, non omnibus conſopitis animi perturbationibus. Præceptum Boëthij eſt; ſed longè ante traditum ab Homero, Si vis

Lumine claro
Cernere verum:
Gaudia pelle;
Pelle timorem;
Spemque fugato;
Nec dolor adſit:
Nubila mens eſt,
Vinctaque frœnis
Hæc vbi regnant.

O ſomnum multorum annorum vigilijs præferendum: cum ità liber ab omni

omni ſollicitudine animus pulcherrima ſe recreat contemplatione naturæ. Scio equidem in diſciplinis hiſce à rerum publicarum adminiſtratione seiunctis, locum etiam fuiſſe maledicti; nec illas probatas ab omnibus: quòd non ſolùm ipſæ non viderentur actuoſæ; ſed poſſeſsorem etiam ſuum facerent otij iuſto amátiorem, & publicarum commoditatum ſecurum. Earum vtilitatem quia ſatis efficaci, ac eleganti oratione propugnauit Tarquinius Gallutius magiſter meus: non ego armis affabrè laboratis lacinias addam inornatas. Sed eſto eæ diſciplinæ cura vacent omni, ac negotio: cum ijs tamen aliquando debet poſſe animus feriari, à grauioribus reuocatus negotijs. id quod ad vitam honeſtè traducendam tantam habere neceſſitatem puto, quantam habet ipſe ſomnus ad mortale corpus procurandum. Non te Homerus philoſophis vnicè informádis exemplum ò Vlyſſes proponebat: cum ſic per omne laborum genus defatigato, vix vnam, aut alteram noctem concedebat ad quietem: at ſuis omnibus abſolutum partibus eorum virorum expingebat ſimulacrum: quos ad ſui adminiſtrationem ſummopere

mopere desideraret respublica: philosophos illos quidem; sed non continenter, ac sine vlla intermissione, philosophantes. Vix integram vnam noctem Mineruæ munere quiete vteris placida: cum continuò illa eadem reuocat ad labores, & omnium maximè, quos hactenus pertulisti, meo iudicio operosos. Ad virtutem callem esse angustum, & arduum, senticetis obsitnm, saxisque ingentibus, præcipitique, ac lubrica hinc, atque hinc via, periculis plenum incertissimis; & audistis sæpè pueri de magistris vestris, & gloriosa cognouistis experientia; qui tàm sæpè sudastis in itinere difficillimo. Nota sunt, quæ de se virtus ipsa promisit olim Scipioni in eo vitæ biuio constituto; in quo nemo sine quadam bonitate naturæ, sine parentum disciplina, sine felicitate quadam, sine numinis amore rectam sequutus est viam.

Casta mihi domus, & celso stant
colle penates.
Ardua saxoso perducit semita cli-
uo
Aspera principio, nec enim mihi
fallere mos est,
Prosequitur labor. adnitendum
intra-

intrare volenti:
Nec bona conſcendunt, quæ ſors infida dediſſet,
Atque eadem rapuiſſe valet.

Requiro iam tuam hic ego prudentiam Homere. In patriam, ideſt ad virtutis, & felicitatis apicem Vlyſſem reuocaſti, priùs Calypſus delinitum blanditijs, mox Alcinoi hoſpitalitate recreatum egregiè, demum in Phæacenſium naui ſuauiſsimè conſopitum. Hic ille difficilis, & arduus eſt aſcenſus, in Calypſus domo viuere voluptariè? hæc illa tàm ſpecioſa pericula, quæ ſine diuina ope ſingulari effugere poteſt nemo: naui aduehi, & ante naufragiorum neſcia, & in poſterum ſecura tempeſtatum? hæc illa laborum omnium tolerantia: Alcinoi hoſpitalitate vti règia & gratia florere Phæacenſium? hæc illa rerum omnium ad extremam egeſtatem paupertas, quam primis virtutis rudimentis edocemur: donis tam multis cumulari quot alius Grecorum nemo ex opulentiſsima Troianæ depopulationis præda domum reportarit? Alijs enimuerò initiat ſacramentis Scipionem virtus.

Stramine proiectus duro, patiere ſub aſtris

Inſom-

Insomnes noctes:
Heros iste tuus pretiosissimis in stragulis dormit adeò profundè: vt neque tùm euigilet, cum remis pulsatur mare; neque sentiat quidquam; cum exponitur in terram.

frigusque, famemque domabis.

præceptum illius est: regales tuus iste Vlysses accumbit ad mensas; & purpureis aduersùm frigus armatur vestimentis. Illa

non tyrio vitiatas murice vestes;
Nec donum deforme viro flagrantis amomi

spondet pro præmio laboranti: hunc tu non ante fingis tenuisse virtutem; quàm muliebri etiam munificentia, fœmineis grauis donis, illis ornamentorum curiositate mouere posſit inuidiam. Mansio illa apud Alcinoüm honesta quidem est; sed non sine iucunditate: ab hac decedendum illi est, vt virtutis culmen attingat: sed somnus huc dulcissimus deducit. Solus in littore deseritur Vlysses: sed non ille solus omninò est, qui comites habet amicorum conciliatrices diuitias. Faciam breui, cum in illa est vitæ iucunditate siue honesta, siue turpi, tàm longè est à virtute; vt ne oculorum quidem acie ad e-

ius templum pertineat: tunc primùm ille collocatur ad radices eius montis, in cuius fastigio virtus regiam habet: cum in portum ingreditur Phorcinis Ithacensem: à quo asperum etiam dum restat, & longum iter ad summum iugum, in quo Ithaca iacet. neque illuc in patriam ascendere Vlyssi tam opulento, tam bellè ornato datum est. Hospitalia primùm Phæacensium dona in antrum abdit Minerua occultissimè, & saxum ingens admouet speluncæ: non solùm vt in tuto ea collocet à prędonum manu; sed vt omnem quoque spem adimat Vlysi eas opes ante recuperandi, quàm reuersus in patriam cum reliquis virtutibus rectum diuitiarum vsum ediscat. Tum onnipotenti virga percussum valdè prodigioso miraculo ex Vlysse mortalium formosissimo deformauit in turpissimum senem. Aureæ statim deciderunt comæ; & in rugas exarata est frons, decrepitæ stupiditatis indices non prudentiæ: illico recesserunt oculi, & edentulum os introrsum depressum est: excauatæ sunt tabida macie genæ, vt senectus ipsa videretur in tota facie speluncas excauasse: & gibbus erectus fuit in dorso

so: tùm ad ſuſtinendam membrorum infirmitatem baculum ei dedit in manus Mineruа; adiunxitque viatoriam ex centunculo peram; regaliaque veſtimenta, munus Alcinoi, fæda, limoque multo inquinata tunica commutauit; cui paupertatis appendicem ceruinam pellem ſuperinduxit. Dicam vno verbo. ex Vlyſſe fecit Herculem Diogenianum; cui bacillum eſſet pro claua, pro leonis exuuio ceruina pellis, pera pro pharetra, pro cœlo, quod ille ſuſtentauerat, gibbus in dorſo. Egregium Mineruæ beneficium, vt Penelope videretur cœca, quæ procorum ſuſtinuerit tot annos importunitatem; ne tam bellum virum deſerere cogeretur! Ridetis fabulæ vanitatem, hanc tamen metamorphoſin factam legimus aliquando. Cratem meminiſtis Thebanos inter proceres ſecundum nemini, familiæ ſplendore illuſtrem, maiorum claritudine nobilem, diuitijs opulentum, nihil eorum deſiderantem penitùs, quæ facere poſſent beatitatem. Inſtitutus is Diogenis præceptis; cum in ijs rebus, quas vel accepiſſet à natura, vel habuiſſet à fortuna, nihil ſuppetere ad beatitatem præſidij animum induxiſſet:

ìmo abundantes opibus viros audijſſet de illo ſæpiùs, ſplendidam quandam ſeruire ſeruitutem, ac veluti catenis iniectis, ac multo pondere detineri in carcere, ne ad felicitatem euolent aliquando, ac libertatem: ſtatuit ipſe ſe datis vindicijs manumittere. ſeruitium primùm omne dimittit à ſe; gemmas, ac ſupellectilem omnem domeſticam proijcit in forum; patrimonio ſe abdicat opulentiſſimo; vtque exitus fabulæ reſponderet initio, quo nuper deſcripſimus Vlyſſem habitu, diuagari emédicato victu per vrbem cœpit. habuit & Penelopem ſuam Hipparchiam virginem nobilitate generis anteà parem, poſtea dementia non imparem; quæ, ſpretis omnibus, ac repudiatis reliquis procis, prouiſum ſibi ſatis credidit Cratetis nuptijs: neque alium ſibi maritum petere conſtanter inſtitit; quàm Cratem vetulum iàm ætate, ſenſu nullo, cultu ſordidum, veſtitu pannoſum. Diogenis doctrinam non probo: Cratem, vt multùm apud ſuos valuerit auctoritate, in dementibus numero: Stoicos verò horum diſcipulos, ſed humani multo plus habentes à Zenone recipio; quamquam adhuc velim humaniores.
ho-

homini propterea, magna contentione ad virtutis templum anhelanti, vt per Stoicorum seueram illam, ac duriorem aliquanto philosophiam, quasi per angustam semitam, iter arripiat, non dissuadeo. Bona scilicet, quæ cum corpore sunt coniuncta, mortali, siue quæ fortuna nobis elargita extra nos est, bona quidem sunt, sed non omnibus bona. Laudare pulchritudinem audes, qui nondum didicisti honestatem? ad omnem proiectus audaciam, qui iura negas tibi nata, qui nihil non arrogas armis, humani, diuinique iuris despicientissimus, à constanti valetudine, ab laterum firmitudine, ab robore corporis, ab stolida ferocia, quietem expectas, & beatitatem? non potiùs omne nefas, non scelera, non vltimam perniciem? mirum sit, si te non transformet omnino in ferocientem bestiam. Ex nobilitate, sanguinis, & claritudine, nisi priùs ex armamentario virtutis módestiam indueris, tamquam ex stirpe subnascens superbia felicitaté euertit omnem, atque pessundat. Beatum te diuitiæ faciant, quæ te sic elatum faciunt, & insolentem? Beatum amicorum multitudo, & multa apud

 ho-

hominis gratia; quæ animo tenebras offundat aliquando voluntarias, quominus rectum possis inspicere tramitem ad veritatem? Quid habes ab honore, præter leuitatem, & inconstantiam: nisi te priùs ipsa virtus suo robore confirmauerit? Beatitatem, quæ haberi possit in hac mortali vita, non in vnicis esse bonis animi, sed conflari etiam ex aliis, quę corpus habet, quæ dat fortuna, verè, ac rectè pronunciatum est ab Aristotele: sed horum bonorum vsum interdico ex edicto Stoicorum ijs; qui nondum in penetralia virtutis habuerunt accessum. Inter sordes, in extrema fœditate mediocritas ediscitur elegantiæ, in qua virtus est: & summam rerum omnium charitatem aliquando tolerasse, animum deindè in magna opum affluentia liberum, & æqualem præstat. Vlyssi patrium Ithacæ montem superare ascensu aggredienti abijciendæ sunt opes pondus inutile: nec in paternam domum vllus datur aditus, nisi turpificato, ac omnino deformi. Vox illa tua magnifica, quàm multos Seneca perdidit: non intemperanrem animum ipsas per se diuitias facere, cum possit inter minimas etiam opes, ac pro-

propemodum inter nullas intemperantia cerni maxima; nisi virtute regatur animi cupiditas, & appetitio. Vt hæc dicantur ab homine, longa virtutum exercitatione ad temperantiam assuefacto: inculcanda iuuentutis auribus tamen non sunt; cuius ardoribus si hanc subdis escam, ignem facies nulla mox extinguendum infusione sapientiæ. Eorum bonorum possessio totum facilè ad se amorem allicit humani pectoris; nisi totum prius sibi virtus vindicauerit: & quamcumque illius reliquam particulam feceris, numquam tam exigua est, vt intemperans non sit. In opulentissima domo, vbi aurum, argentumque in vsu promiscuo sit, non se suspicere, non obuia laus est, nec in candidatis desideratur sapientiæ. Neque verò ad eam solùm felicitatis partem, quæ inuenitur in moribus, ea mendicitas, ac deformitas opportuna est: sed etiam propemodum necessaria ad alteram, quam, & per soporem, & in antro Ithacensi conquirit Vlysses, vnicæ operum naturæ contemplationi continenter incubantem. Mirum sanè, vt ex tanta veterum philosophorum multitudine vnum, & alterum habeas nominare insigni-

tè formoſum: qui ſi deformes in ea luſtratione quæras, numerandi modum non priùs inuenias, quàm ſingillatim omnes recenſueris. Delatum eſt aliquando nomen apud Maximum proconſulem Lucij illius Apuleij (tunc vere Aſini, cum ſub humana forma ſuos de Aſino ſe libros conſcribebat) quòd formoſus eſſet, ac pulcher: nec ille præter Zenonem, & Pythagoram potuit alios afferre veterum philoſophorum; à quorum ſcita facie, & eximia corporis dignitate aliquam haberet defenſionem pulchritudinis ſuæ. Quod iſtud eſt nefas, philoſophum formoſum eſſe? aut quod iſtud ſapientiæ conſilium, vt in deformi corpore, quaſi in malè materiata æde, velit habitare? Quam putatis, homines priſcæ ſeueritatis de hoc genere mundulorum ſententiam laturos fuiſſe? de quibus verè ignores, an ad hunc ſapientiæ mercatum accedant, illam ſibi comparaturi: an ipſi emporium deliciarum, & officinam ferant: quas minimo venales habent pretio, ſcilicet vno oculorum intuitu, aut adulatione fucata, & benè quidem fucatæ merces fucata veneunt mercede. Vobiſcum mihi ſermo eſt, adoleſcen-

tes,

tes ; quos ad aditum philosophiæ Logicæ fores verberare iam video.. Bene habet ;ab elegantia facilis est ad argumenta transitus! Argumenta torquentur in Dialectica ad scopum feriendum veritatis ; non tanta cum diligentia capilli torquentur in cirros, captiosa quibus te insidiosus captat sophistes aduersarius, vincula soluendi modum edoceris: non formare capillamentum in vincula . vt aptè, & affabrè rei natura omnis latentior exprimatur definitione, inquiritur : non vt politè vestibus exprimantur artus. Vt aurum, vt torques bellè cadat ad pectus suis contextus annulis, nihil ad nos clamat ad suos auditores Dialectica : illa est nobis curarum maxima ; vt suis oratio cónectatur articulis ; & simul ipsę connexæ propositiones inter se cadant in id directò, quod animo ante proposueramus. Tu interim, vt explicata sit linea circa collum fimbria, & creta oblita rugas non habeat, summa solertia studes, & speculum super ea re consulis diligenter : apud nos verò in argumentis labor est, vt explicata sint, & plana, & ab omni contorto, fallacique sophismate sint remota . in Aristotelæis, & pręceptonibus.

ptionibus, & exemplis nostræ speculemur faciem argumentationis. Abscedite vos hinc, & procul facessite qui Seplasiam oletis, & Arabiam.

Nam rogo, quid faciunt aggesti fronte capilli
Altiùs? & dextram quare cincinnus ad aurem
Pressior, aut circum bipedalia carbasa collum?
Quidue peregrinis facit endromis aspera villis?
Pulchra quid in pedibus Sicyonia? scilicet omnes
Huc curæ: cupiunt oculis, digitoque notari.

Sic in vos olim declamauit Famianus Strada magister meus, cuius laudatum numquam satis ingenium in mansuetioribus historicorum, poëtarum, oratorum studijs, voluit etiam innocenter aliquando satyricum tractare thyrsum: ne vmquam aliquod intactum sibi styli genus toti vnus inuideret antiquitati. De opibus verò quid attinet dicere? plena sunt monumenta sapientium virorum exemplis; qui priuatas pecunias, aut fecerunt publicas, aut abiecerunt in mare; stare non posse opinati cum philosophia curam diuitiarum. Pro-

num est in ea causa pronunciare de firmitudine laterum, & corporis, de integra, & bona valetudine: quam, protracta in luciferum sæpe à vespero attenta ad obliuionem somni, & cibi meditatione, sensim, ac sine sensu terit studium philosophiæ, ac omnino perdit: vt mirum sit; si ex istis hominibus aliquis, eiecto sanguine, non prolabatur in tabem. Sed iuuenibus ego meis ab hisce scopulis non timeo; qui, si meus Vlysses exemplo suo ab illa elegantię cura eos olim distraxerit, ineant me auctore sapientiam, ad illam tum ornati pulcherrimè; cum præ se negligentiam ferent in ornatu. Vlysses igitur deformitate sic, idest sapientiæ mysterijs initiatus, ad subulcum mittitur: cui mœstitia quædam laudabilis, ac bona nomen vocabulo græco fecerat Eumœo; quem probata semper in seruis auaritia œconomum Vlysis fecerat, ac eius familiæ præfecerat vniuersæ. Iisdem imbutum moribus laudabat atriensem Sauriam Plautus, macilentis malis, rufulum aliquantùm, ventriosum, truculentis oculis, commoda statura, tristi fronte, Aeacidinis minis expletum, animisque. subtristem placet eum esse,

ac planè tetricum, cui ſit domus, & pecuniæ commiſſa procuratio: ne feſtiuitas liberaliores faciat, quos domini amare ſolent ab auaritia. Hiſce gradibus ad magiſtratum Eumœus aſcenderat ſupremum domus Vlyſsis: & inſita hæc illi à parentibus cum nomine triſtitia carisſimum domino fecerat opulento. Apage ſis illud ab Vlyſſe maledictum. domus illa ſemper hoſpitibus aperta, miſerorum tenuitatis perfugium, aſylum inopiæ, liberalitatis officina, magnificentiæ regia illum rectorem ceterorum habeat famulorum; quem reprehendendi parens auaritiæ triſtitia nominauerit? Non ille à mœrore vulgari dictus eſt Mœus: ſed ab eo mœrore, qui prodigalitatis eſt moderator, expulſor auaritiæ, hoſpitalitatis auctor, ſuaſor omnis munifcentiæ: in ſumma qui bonus eſt, & laudari dignus, pulcherrimo vocabulo nominatus Eumœus. In ſumma is eſt, quem vos, Præſules ampliſsimi, ad laudem captandam magnificentiæ deſideratis maximè: attentum ad omnia, non negligentem rerum domeſticarum, prodigentiam inter, & liberalitatem quid interſit, quid parſimoniam inter, ac tenacitatem diſpicientem, o-

ptimè

ptimè : frugalem in priuatis sumptibus, splendidum in ijs, qui in oculos incurrunt aliorum : astutiæ, ac seruorum dolis non obnoxium; non tamen in eorum stipendia subtilem nimis, ac ingeniosum inquisitorem: qui lucri faciendi honestas prætermittat occasiones nullas, quò domino plus præsidij sit ad magnificentiam : alienæ inopiæ misereri facilem, in seruorum furtis durum, & austerum : qui demum ex opulenti patrimonij procuratione detorqueat nihil in vtilitatem suorum, ac suam : & omnis lucri turpis, qui vel domino acquiratur, ignarus soli seruiat eius liberalitati, ac splendori, quò laudem, quò gloriam ille, quò sibi popularem gratiam aucupetur. Hisce fuisse moribus imbutum Eumœum, testis Vlysses ipse; qui mendici, ac erronis habitu tam facilè ab illo tristi homine inuenit simulatæ inopiæ leuamentum. Sed hæc occasione muneris, quod in domo gerebat Vlysis Eumœus, sint satis. neque enim illud habuit Homerus in animo, vt eum conformaret, cui demandari posset rei domesticæ administratio. sed cum sic Vlyssem in paterno agro Eumœi reficit hospitio : in illud philosophiæ
genus

genus illum immisit; quae laetitiam omnem, ac hilaritatem ablegauit à beatitate: quae risum numerauit in sceleribus, quae iucunditatem omnem exturbauit. quam philosophiam nimia tenacitate arripuerunt Diogenes, & Crates; quam ad humanitatis disciplinam emendauit aliquantùm Zeno. Miseri homines, ac ceci, qui haec miseriarum dogmata expiscati in Homero, non illud viderunt; Vlyssem beatum nec esse, nec dici, cum sic apud Eumoeum diuersatur: sed tum, cum recuperatis bonis omnibus, procis interemptis, pulchritudini redditus priscae, virtute sua ita fruitur in patria, vt reliquis corporis, ac fortunae non destituatur bonis. Nimis suis paradoxis, & miraculis ij philosophi obstupuerunt; quibus, & venerationem aucupabantur à populo, & efferebant se supra mortalium ceteros magnificè. Solos sapientes, distortos licet, ac deformes, sordidos capitones, labeones, frontones, ipso Aesopo nihilo formosos magis, pulchritudine superare quidquid aut suspexit antiquitas, aut omnis demirabitur posteritas. illos, seruitutem quamquam seruiunt miserrimam, liberos esse; illos licet despicatissimos.

mos, ac publicum populi ludum, principes esse, ac reges. Sic aliquis illorum aliquando de se gloriosissimè, insolentissimèque prędicabat. sibi baculum, ac palliatrum esse, quod regibus diadema, quod augu-ribus lituus, quod tiara pontificibus, quod imperatoribus paludamentum. Demirati sunt illi hæc prodigia in ipso Vlysse, qui idem sibi erat multorum, quæ occultauerat in spelunca, bonorum ditissimus; idem rerum omnium, quæ ad vitam humanam sunt necessaria, inanissimus videbatur Eumœo: idem pastori suo se sistit fœditate obsitus, atque illuuie turpissima; idem in Telemachi conspectum cum veniebat, pulchritudine, ac eximia dignitate honestabatur ad stuporem vsque Telemachi. Ita se res habet Audit: ipsi illi sapientes in suis sordibus felices, ac fortunati cum ab attentissima contemplatione philosophiæ ad communem quemdam viuendi modum reuocantur à necessitate: suam in sordibus quietem, in egestate, ac mendicitate admirantur beatitudinem. Hoc hominum genus, quia non totam adhibet sapiētiæ vim, designatur in Telemacho; quo igniculos quosdam

dam prudentiæ in humana insitos natura, non ita faciles extingui, si benè meministis, significari supra dicebamus; ad quorum lumen exiguum beatitatis eius causæ non introspiciuntur penitùs, & ex ignoratione nascitur admiratio. Ab hac etiam aliquando sapientia digreditur Vlysses, in qua perfecta esse felicitas non potest; & ad illam demum accedit, quæ primas partes virtuti dat, non recusat habere in societate fortunam, & corpus. Mendici habitu domum ingreditur paternam: vbi cum vidisset patrimonium omne procorum insolentia dilapidari; in quibus ea expinxit vitia poëta sapientissimus, quæ beatitati maximè sunt inimica: ad eorum internecionem accingit se. Ac primùm in Iro pauperrimo, & procaci eam paupertatem expingit, quam non discimus à philosophia, sed inuiti sustinemus à fortuna; plenam intolerandis cupiditatibus, & inuidia laceratam sempiterna. impietatem tollit in superos, Eurymanto interempto oraculorum contemptore. fraudes, & veræ simiam prudentiæ fallendi artem damnat cum Antinoo necem infert insidiarum in Telemachum duci. simulatam in Am-

Amphïnomo illo vitæ probitatem conficit; qui primus ex Dulichio procos duxit, nec ingratus adeò videbatur Penelopæ; quòd oratione vteretur placida, & reliquos ab insolentia retraheret. procaciam, & petulantiam opprimit; cum opprimit Menelanthium; à quo, & maledictis vapulauerat, & verberibus. superbiam ex opulentia ortam conficit; cum Ctesippum conficit procorum opulentissimum ab diuitiarum vbertate sibi nuptias Penelopes non desperantem. demum, Liode augure vita priuato, à falsa superstitione religionem liberat, virtutum omnium priucipem, & imperatricem.

Sic demum Vlysses, vitijs, quæ hominem miserè lancinant, fortiter superatis, ad beatitatem appulit, ità in vnica virtute consistentem; vt reliqua corporis, & fortunæ bona non reijciat. Quam vos assequutos quoque fuisse gratulor, Præsules amplissimi, ceterique viri ornatissimi; qui citra omnem allegoriam vestris egregiè factis, adolescentibus hisce auditoribus meis, quam insistant ad felicitatem, viam tutissimam commonstratis.

Con-



CONTEXTVS ARGONAVTICORVM APOLLONII ALLEGORICVS



PRocul à Ioue, procul à fulmine, vetus prouerbium in rem hodie meam non omnino perperam detortum. Procul ab Homero, procul ab optimo. Hoc facto viuitur: pretiosum nihil, quin idem ſingulare. numerus vix vſpiam pretium habet. Heroica poëſis pretioſa plane res eſt: neque poëtas he-

roicos

roicos enumerat Gæcia, quæ vnico ſibi plaudit Homero. Meliora ſentis de Latio? vehementer erras. Virgilium tolle; tolles epicam latinam poëſim. Reges non capit aula duos, immo vix vniuerſus orbis, magni dictum eſt Alexandri: neque vna natio duos poëtas: credite id illi; qui, cum poëtas maiores conſulibus feciſſet, ac proconſulibus; exæquauit regibus.

Conſules fiunt quotannis, & noui
proconſules.
Solus rex, aut poëta non quotannis naſcitur.

Ego ſic ſentio: vtinam vnicè, vt ſentiam benè. voti me abſoluit frequens iſta veſtra panegyris Aud: qui iam ſapientiæ pretium ſeiunxiſtis à raritate: vos, inquam, omnes habeo mei adſtipulatores: ore, nutuque dicto plauſiſtis meo: deque vobis ita mente animoque concepi, ſic vni vos aſſurgere apud Græcos Homero, apud Latinos vni Virgilio heroicæ poëſeos principibus: vt ceteros per ſe ſingulos laudabiles, contentione cum hiſce facta, vix vllo habeatis in numero, albo propemodum expunctos poëtarum. Sed aliquis veſtrum Horatianum illud vſurpet

pet aduersùs me?

Non dices hodie, quorſum hæc
tam putida tendant?

dicam breuiter; ne putidè ſuſcepta hæc à me videatur Homerica laudatio.

Superiore anno ex eodem loco per autumnales ferias ad honeſtam, eruditamque meorum auditorum oblectationem, remoto allegoriæ ſipario, ſcenam aperueram omnis ſapientiæ in Homerica vel Iliade, vel Odyſſæa. exhibita eſt per plures dies ea ſapientiæ tragœdia; ſemper placita, ſemper ſtetit: & quæ fuit aduersùm me humanitas plerorumque veſtrum; quos etiam tunc habui ſpectatores, auditoresque benigniſſimos, vocibus exceptus gratulantium, extremum illud, plaudite, denegatum aliquando, non opus in fine habui exorare. Quando igitur cognoueram, placere vobis hoc veluti Sileni pectus reſerari: in eam veneram mentem, vt viderem, quid boni afferrent reliqui Græci poëtæ. Apollonius igitur primus in manus venit Argonauticorum ſcriptor non ignobilis, poëta non inelegans, & in horoicis Græcis, qui noſtram tulerint ætatem, Homero proximus: vt qui

qui seruasse leges vnus iusti epodis videatur, sed longo proximus interuallo. Reuolueram iam totum, recensitisque Argonautis omnibus; mediaque componens primis, medijs extrema conferens; causas reuoluens itineris periculosi; quid impulisset patruum Peliam, vt Iasonem in ea mitteret vitæ discrimina; quæ huius fuisset animi constantia, vt ad aliorum imperium difficilem adeò aggrederetur prouinciam; quo nouo artificij genere nauim longam excogitasset, ausus primus pelago committere ratim, vitam rati, non timere infames scopulos, non s rtes perhorrescere, non n tantes Cycladas, non ipsam in malaciā sępè fallentem oceani perfidiā; quibus deinde in ipsa nauigatione defunctus esset periculis, quæ non vulgari prudentia propulsasset; cuius ope Deorum liberum se proripuisset sæpiùs è mortis faucibus; qua arte sibi conciliatam habuisset Medæam adiutricem, & ad perimendos igniuomos illos tauros, & ad draconem consopiendum, & quod vltimum erat laborum, ad aureum ipsum vellus ab arbore refigendum: relegens, inquam, diligenter hæc omnia, ex optima

rerum

rerum omnium dispositione poëtæ consilium coniectando, occultiorem aliquam introspiciebam in ijs fabulis delitescere sapientiam; & in eiusdem inquisitione ingenio meo, Homerica pridem exercito allegoria, res non procedebat malè.

Scire vultis, qua ille doctrina meo iudicio mortales instituat? ea nimirum, quam supra ceteras omnes mortales amant: quam qui consequutus fuerit, nō inanem illam Stoicam Amaltheam magnificis solùm opulentam verbis habeat: sed veram, ac solidam, omnibus refertam muneribus; quæ aliquando mortalibus esse possint in desiderio. Dicam nudè, simpliciterque, candidèque, diuitias parandi modum docet Apollonius,

quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus, sapiens etiam, & rex,
Et quidquid volet: hoc veluti virtute paratum
Sperauit magnæ laudi fore.

Non ego rem physicis examinabam rationibus: quamquam scio aliquos esse; qui, cum semel sibi persuaserint, posse reliqua metalla per multas aliarum formarum vicissitudines in

aurum

aurum denique aliquo artificio commutari, eam artem, verè latentem in fundo, expiſcati ſunt in Apollonij Argonautica: inducti opinor in eam ſententiam à Suida: qui Phryxæam pellem membranam fuiſſe confirmat arietinam, auri conficiendi rationibus inſcriptam. immo & natum inde adagium eſt: vt vellere quis aureo potiri diceretur; cum, quæ vilia forent, faceret ipſe artificio ſuo pretioſa. Vt verum id ſit: locus tamen hìc non eſt de phyſica diſputandi. ea nimirum ars paucos, aut etiam fortaſſe neminem diuitijs auxit, & locupletauit bonis. plerique, dum hanc exercent Argonauticam, naufragium fecere bonorum omnium ad lapidem philoſophorum, quem dixere mercurium, meliùs lapidem nominaſſent philoſophiæ; ſed eius, quæ à poëta primi nominis Italico nuda viuere dicitur, ac rerum omnium egentiſſima. Aliam & aſcenſu faciliori, & ad opes comparandas recto magis tramite viam commonſtrauit Apollonius: quam & veſtigijs maiorum tritam inſiſtunt hodie multi, & quamquam non ſine periculo, ſuperant tamen cum operæ pretio non contemnendo. immo tot modis

dis nos inſtituit parandi diuitias; quot Iaſonem ſocijs inſtruit, quot enumerat Argonautas. Non ille, ſiue argumenti felicitate, ſiue ſua induſtria neceſſe habuit, aliquos addere ad ſupplementum nauticæ multitudinis, nec quiſquam ex eo numero eſt, qui non ſit aliqua laude ſpectabilis, aut myſterio careat ad allegoriam retexendam. Quippè non ſine conſilio ſingulari in eum venit numerum. Orpheus cum poëtica lauru, cum Apollinis lyra: quæ & antiquis olim ſæculis, & noſtro nuper etiam æuo multos in familiaritatem induxit principum virorum; & ſupra ſpem, ac votum affluentibus omnium rerum copijs locupletauit. Ad quam etiam rem ſi multam habere vim credita ſemper eſt eloquentia: Aethalides quoque Mercurij filius facundia nobilis in legationibus, comitem ſe adiunxit Iaſoni, ad velleris acquiſitionem præſidium non leue. Neque ille Mopſus, aut Idmon, & non vnus alter rerum futurarum ſagaces diuinatores: vtque ijs temporibus nihil non ſibi faciebat credibile ſuperſtitio, ſapientes Diuum interpretes, qui numina Phœbi, qui tripodas, Clarij lauros, qui ſidera ſentiebant

tiebant adeò intelligenter.

Et volucrum linguas, & præpetis
omina pennæ,

ob scelera nocentes adiguntur ad remum à poëta: sed omnino diuinam quamdam ingenij sagacitatem indicant habere ad opes acquirendas necessitatem: qua euentura præuidere possimus; vt ijs prouideamus in tempore, quam ipsam alteram, & potiorem prudentiæ partem ille designat Lynceus: quem, quæ erat oculorum perspicacitas, non ipse paries intermedius ea cernere vetuisset, quæ fierent in intimis domuum penetralibus. Maritimum iter expeditissimum esse per mercaturas ad omnem opulentitatem; eæ norunt nationes; quibus ad mare portuosum habitare contigit, transuehendis aliò, atque ab extremis oris inuectis idoneum mercibus exponendis: id quod, & ipsa indicat integra nauigatio; & is præsertim, qui supra ceteros nautica excellebat arte, nauis gubernator Typhis. Quid illi Boreæ filij Zetes, & Calais numerus fortasse sunt in eo Heroüm numero, remis nati propellere nauim? an non potius docent, qua siue ingenij velocitate, siue pernicitate operandi defenden-

dæ ſint à domeſticis quibuſdam Harpyis diuitiæ, quæ cum regias deuorauerint Phinei epulas: nihilo tamen̄ fiunt pinguiores, totæ abeunt in pinnas, & plumarum inanitatem. Sed quo ego te tacitum loco relinquam, aut cur in vltimis recenſebo, qui primus eſſe debueras, Heroüm Hercules fortiſſime, militaris exemplar & fortitudinis, & diſciplinæ? nimirum tu opibus amplific[illegible]dis non minùs ineptus es; quàm olim fœmineo fueras lanificio: immanibus illis tuis manibus fuſus, & remus idem ſunt; vtrumque tangis, vtrumque frangis: & doleas, quòd te inſuetum operi, plus etiam fortaſſe detrimenti afferentem, quàm ſubſidij, non expectent ſocij, mox rediturum cum abiete ad reparandum remum? Ita eſt Aud: non quicumque militiæ nomen dedit, habuit ab illa aut famam, aut opes: ſed is, quem ſingularis animi, corporiſque fortitudo ſupra virtutem extulerit ceterorum: vix tamen vnum, aut alterum enumerabis è primi nominis ducibus, ac totius imperatoribus exercitus; qui ea ratione ampliores reliquerit facultates, quàm acceperit à maioribus. Scitis qui redire
ſoleant

soleant à bello locupletiores? milites aliqui mediocrì, aut non multùm supra mediocritatem robore à natura dotati; qui ex vulgo sæpè gregariorum ad aliquem euehuntur militarem gradum. cuius notæ omnino Castorem facit Apollonius, ac Pollucem, magnæ virtutis viros, si cum nostris hominibus conferas: communis, vt in ijs heroibus, fortitudinis, nihilo ceteris præstabiliores. aut etiam ij ditantur in bello; qui à reliquis virtutibus nudi omnino, ac inopes, vt inquit Curius apud poëtam veterem, cauponantur bellum, non verè belligerant. Quicumque aut generis nobilitate, aut maiorum exemplis, aut etiam innata quadam in obscuro etiam aliquando genere magnanimitate, primos in exercitu gradus habet in desiderijs, aut spe sibi proposuit, aut etiam assequutus aliquando est; quorum hominum genus expinxit poëta noster in Hercule: ille honores, publicas acclamationes, famam, nomen, & si quid inanium vspiam titulorum est, præter spem assequetur, ac omne votum; quæ sæpiùs ipse sanguine coëmet, ac toto patrimonio: raró, & vix vnquam sine prodigio bellicis i-

dem honoribus augebitur, pecuniæque faciet incrementum.

Non vacat ire per Argonautas reliquos, nec libet. Quod enim operæ pretium facturus sim, si Apollonij allegoria retexta, qua rem amplificare ratione possitis, doceam ego vos? Epicum Apollonij carmen habere laudem existimo, & dignum iudico commendatione: à quo multa transtulerit in suam Aeneidem Virgilius, sagacissimus ille bonorum, quæ apud Græcos essent, indagator & fur: cuius & vestigia sequutus fuerit Valerius Flaccus poëta in latinis ingenij non omnino contemnendi: sed, vt ad idem iterum reuertar, tanti ne laboris fructus dignus sit acquisitio diuitiarum? idest rei non per se malæ; sed quæ vix vnquam, nescio qua turpi affinitate, mala non trahat. &, vt bonæ sint, fortunæ tamen casibus maximè obnoxiæ sunt: & vt sine culpa possidentur sæpè; sic semper non sine ingenti dolore amittuntur, atque non sine animi ægritudine.

Maceror sanè Apolloni, & quia tuo plurimùm oblector ingenio, vehementer doleo; quòd argumentum siue fortuna obtulerit; siue tu ipse tibi

tibi præscripseris, leuius, vt modestè dicam, quàm tuam deceret sapientiam. tua, inquam, ista sapientia iniuriarum habet actionem in te; quòd illam rei vilissimæ mancipaueris, ac fortunæ propemodum seruire coëgeris; quam diuitiarum facere voluisti præceptricem. Non est quòd longiùs pro te dicas: video, quam habere defensionem possis, & expeditam, & honestam. diuitias, opesque in bonis enumerari debere, & in partem venire ipsas quoque humanæ beatitatis. immo quia sub sensum cadunt magis, adeoque mouent animum vehementiùs; quàm eæ, quæ felicitatis caput, ac summa sunt, animi virtutes, & bona: sæpissimè fieri; vt mortales, qui sensuum ducuntur maximè iudicio, prę fortunæ bonis animi bona despiciant; & si secus non possint, per vitiorum gurgites tendant ad opes obliquè: adeòq; difficillima nauigatione ei malo medicinam facere, non esse vltimam sapientiæ partem: vt etiam in medicina pestem aliquam latè grassantem coërcere, laudem habet, ac eius artis commendationem. Pronunciatum illud à veritate magis abhorrere tu affirmabis, quàm credant aliqui: pro-

bum hominem diuitem fieri non posse: immo & perniciem attulisse maximam non paucis; qui, cum semel animum induxerint aucupio indulgere diuitiarum, desperatione illarum acquisitionis in probitatis campo, deflexerunt ad sinistram partem in præcipites vitiorum anfractus; qua expeditiorem inaudierant esse viam ad mortem ne dicam, an ad diuitias? ad vtrumque. nam ab vitijs non vno disiungi digito mortem inficiatur nemo: à diuitijs tanto vitia distrahuntur interuallo; quantum nomen indicat, quod illæ repererunt à duplicatione vitiorum. Hisce te malis adhibere remedium dices; quæ si leuia non sunt, non sapientiam inutiliter impendi totam ad eos abigendos morbos; qui hominem sua culpa in eos incidentem tota mulctant sapientia. Ideò tu nimirum in Argonautis solos enumeras heroés. in qua re fortasse supra poëtas ceteros superbiam sumis; quòd nemo sit in Argonautis tuis aliqua parte reprehendendus; quem præterea singularis aliqua laus numero non secernat reliquorum.

Non reprehendo, existimate sic Apollonium dicere, non reprehen-

do

do Homerum ego, aliosque, qui exercitum non ex solis heroibus scripsere; sed addiderunt etiam lixas, & calones; addidere Thersitas, aliosque; quorum siue irridendam proposuere vitam, siue desidiam fugiendam: sed tamen, quia ego in argumento versabar lubrico, & quod facilem haberet in omnia vitiorum exempla propensionem; abstinendum omnino mihi ab ijs inducendis fuit; qui possent aliquam meo labem inspergere poëmati: ac eam informare mortalium animis opinionem, vt crederent, ad opes aditum esse per vestibula vitiorum. Eodem planè consilio Plutum diuitiarum Deum cœcum, inexpertemque iudicij remouimus à carmine; dedimusque Iasonem, & Argonautas in patrocinium Iunonis: vt intelligerent omnino, qui nostro versarentur in poëmate, cui sacrificandum esset Deorum in diuitiarum petitione. Et hæc enim, & alter ille diuitiarum vterque potentes sunt: sed ille in improbos effundit, ac malos; nec tam opes elargitur; quàm, quia coecus est, neque præcauere potest insidias, neque vim apertè repellere, eripi sibi permittit è manibus à grassatoribus, à viris,

quos audacia in omne proiecta flagitium, ac scelus nobilitauerit. hæc, quia è superis numinibus est, & oculata non minùs, quàm caudatus ille ipsius Pauo, prudenti, sagacique inuestigatione perquirit accuratè, quos muneribus afficiat suis; præcauetque diligenter, ne alienis immerita flagitijs vapulet; si sua bona contulerit aliquando in immerentes. Quia igitur earum compotes virtutum fecimus Iasonem, ac socios; quibus accesionem opulentitatis ad absolutam beatitudinem fieri debere, non fateatur nemo: Iunonem induximus; vt suas ipsa quoque partes egregiè susciperet, ijs, quæ ad eam pertinebant, præmijs remunerata virtute. Neque hic stetimus, sed & legitimum docuimus vsum diuitiarum; cum non ad ostentationem, ac luxum vellere induimus aureo Argonautarum ducem: sed quietem illi à periculosa nanigatione non dedimus; donec in patriam redux, quibus auctus esset opibus, ac facultatibus, expositas illas in medium publicæ cõsecraret felicitati. Quæ homini pericula, quantaque imminerent, per ipsam etiam grassanti virtutem ad opum affluentiam, singillatim descripsimus

ſcripſimus in carmine , eademque modum euitandi explicuimus accuratè. Cum enim fabulati ſumus, vt hoc addamus exempli cauſa, ſcopulos illos natantes tanto concurrere impetu inter ſe, vt nauibus per illos effugium eſſet nullum; niſi tàm celeriter per liquidos Neptuni campos pennis acti remorum volarent; quam velociter remigio pennarum ſecat aëra volucris, non ipſa facilis velocitate viſus exæquari: anguſtias illas expreſſimus; in quas ab hominibus inuidis ij ſæpiſsimè compelluntor; quos vel fortuna, vel ſua virtus ſupra reliquorum mortalium apicem euexerit. quas anguſtias non excuſatione, aut tuorum exprobratione meritorum, non diſputando, non tuam præ te innocentiam ferendo, non benefaciendo ſuperabis melius; quàm fuga, & cum magnanimitate quadam contemnentis omnia declinatione leuiſsima. Hanc quidem partem exequuti ſumus exquiſitè: ſed alteram non omiſimus; in qua conuinceremus, à vitijs plurimùm opibus imminere periculi, quorum ſemper eſſe pediſſequa ſoleat paupertas. Quantas Argonautarum itineri moras interpoſuit Hypſipile;

quæ suis delinitum amoribus Iasonem obliuione perfudisset Phryxæi velleris; nisi ab Hercule increpitus redijsset ad mentem: lasciuiaque depulsa cum omni ipsius familia, quam ducebat præses, ac domus magistra desidia, nihil esse intellexisset boni, iucundi nihil in vita luxuriosa: in opibus verò, in pecunia, si facem illis præferat virtus, partem inesse non exiguam beatitatis. Licet enim, atque adeò decet, tenuia quædam etiam eorum vitia describere, quos ceteris proposuimus ad imitandum: ne retrahantur ab imitando reliqui desperatione tam excelsæ, absolutæque virtutis: quam informare possimus cogitatione; reperire à nimis perfecta partium omnium dispositione non possimus. cum ea tamen detegendà circumspectione sunt, vt esse vitia dignoscantur; quæ condonari quidem possint, non exprimi tamen imitatione debeant; nec excusationem alijs parare probabilem, qui iam illam animaduerterint alienæ multum pulchritudinis imminuentem deformitatem. Optimus viuendi, morumque magister non solùm ea prosequitur præceptis, quæ re deinde prosequantur mortales: sed
etiam

etiam ea quæ fugienda sunt; vt lydius veluti lapis veri index auri esse posſit, ac mendacis. Quod si Iaſonem Medeæ rurſum amoribus implicuimus; cuius ope aliquando tandem venit in aurei velleris poſſeſsionem: legitimi prætexuimus nomen coniugij; quod ab vna ſæpè familia opes tranſportauerit in aliam sine aliqua difficultate, sine vlla culpæ ſuſpicione. Quin & omni vacat flagitio à paternis procul regnis Medeæ fuga; quæ si vxor erat vel cum contemptione parentum, quando aliter non potuit, transmigrare cum hæreditate tota debuit in maritales thoros, ac lares.

Exiſtimate sic pro ſe Apollonium dixiſſe, proque ſuis Argonautis: & addere potuiſſet non pauca, si per me, perque tempus licuiſſet illi singillatim ire per omnia. nam nudus omnino ab allegoria non eſt occurſus ille terrigenarum, ac tam mnltorum brachiorum gygantum; aut illi ſpirantes naribus ignem tauri, aut cuſtos aureæ pellis draco, aut ſatiui dentes in ſpem animatæ, armatæque frugis, aut ipſa, quæ videri poſſet reprehenſione digna, niſi Iunone fieret annuente, in deſerenda Medea

Iasonis perfidia ; laudabilis in illam ; quæ à iusto vxoris nomine per summam crudelitatem abierat in lupam. Multa quoque addere possem ego consequutorum poëtarum exempla, & veterum referre præcepta sapientum, qui scripsere de poëtica ; quibus illud efficerem, quod maximè velit Apollonius : illum non aberrare à sapientia, cum transgressus est ad diuitias. neque in ea ego re, vmquam Apollonium accusaui ; qui poëta mihi valdè probabilis est : absolutiorem tamen quamdam in illo requiro sapientiam : numquam enim ijs curationem integram adhibébis morbis, quos diuitiæ faciunt : nisi totam, vt sic loquar, animum virtute perfricueris. id quod vti altero vidébamus anno fecit Homerus in Vlysse ; quem cum omnibus vellet beatitatis numeris absolutum : non priùs ideò fecit illum Phæacensium ditissimis vtentem donis ; quàm per omnes ductum philosophorum sectas, & omnibus expiasset à vitijs, & omni sapientiæ instruxisset supellectili. In qua re Homeri consilium assequutus etiam Virgilius est ; qui non vnius, aut alterius virtutis compotem Aeneam facit : sed, occiso Turno, ciuitatis

nitatis ædificationem non priùs illi permittit in Italia, quàm omnis ediderit exempla probitatis. & vtrisq; non aliqua fuit ante oculos pars proposita felicitatis; sed integra, & suis omnibus expleta partibus beatitudo?


Quæ igitur dementia sit nimio cum labore per riuulos aliorum poëtarum libare sapientiam; si totam ex hoc veluti gemino fonte possumus exhaurire? Libet igitur iterum ad Homerum digredi, & cum Virgilio conferre; vt ab optimis perfectissima quæque decerpentes, desideremus nihil. Sudauit in hoc opere Macrobius, sudauit Scaliger, & nostro cognitus æuo Fuluius Vrsinus; nec vllus est Virgilianorum interpretum; qui non subindè, ac identidem Virgilij versibus versus adnectat Homericos: sed, quia fugere satietatem volumus, alia nobis insistendum erit via, non in stylo, non in eloquutione, aut in laude ingenij ex singulis coniectata partibus, aut in descriptionibus, quod fecere plerique, conferendi mihi sunt: sed ad ipsum deueniam caput rei; & vtriusque poëtæ fabulam, siue, vt cum Aristotele loquar, synthesim examinabimus accuratè, id quod vel omnino prætermis-

miserunt alij, vel ieiunè fecerũt adeò; vt eam planè rem non curasse dicendi sint. & tamen illud erat primum, quod venire poterat in comparationem: & hoc voluere veteres, cum dixerunt in primis Aeneidos libris expressam Odyssæam, Iliadem in postremis.

Vtar igitur Terentiano in Adelphis prologo in hoc, quod esse mihi leuiusculum proœmium volui ad grauiores de Virgilio, deque Homero dissertationes.

Eum locum
Reliquere integrum, eum locum sumpsi mihi. pernoscite,
Furtum ne factum existimetis, an locum
Reprehensum; qui præteritus negligentia est.

In diem igitur quintum inuitat Apollo vos ad celebres ludos, exhibiturus nobile gladiatorum par, è Græcorum familia Homerum, è Latinorum grege Virgilium.



HO-



HOMERI ET VIRGILII

Collatio Prima.



VT omnia veſtræ ſupparaſitantur oblectationi Aud: Apollinis nomine ludos in diem ante hodiernum quartum indixeram: neſcio quo tamen caſu res prolatata eſt, ſed veſtro bono. nam exhibiturus erat ille nobile gladiatorum par, è familia Græcorum Homerum, è Latinorum grege Virgilium. factum eſt per hoſce interim dies, dum ex-

pectatur opportunius ludorum tempus, vt ex vltimis orbis terrarum partibus, vbi in siluis ingentibus multæ stabulantur feræ, transmitterentur muneris nomine ad Apollinem in magnificentiam ludorum bestiæ aliquæ, & magnitudine spectabiles, & viribus valentissimæ, & immanes ferocia, nesciæ prorsus cicurari, manusque impatientes magistrorum: bestiæ, quid bestiæ? monstra, monstra inuisa prius Romanorum spectaculis; quamuis ab illorum venatione nullum relinqueretur asylum feris: monstra sua deformitate adeo admiranda; vt illa semel vidisse faciat meo iudicio Apollinari populo ludos magnificentissimos: nisi si fortasse timorem incuterent alicui, aut etiam horrore quodam spectatores sua perfunderent turpitudine. Monstrum non ne sit illud quodcumque sit, siue hominis, siue in humano corpore habitantis feræ; quod ausum sit, horresco referens, per summam impudentiam Homerum, Homerum poëtarum extra omnem aleam cum collega Virgilio principem irridere, despicere, ac veluti malum poëtam exilio mulctare a manibus hominum eruditorum: aut etiam in carcerem

de-

detrudere perpetuum bibliothecarum? Parcerem ego ſanè iſtis Homeromaſtigibus, ſi aut ad oſtentationem ingenij, quæ in maledicendo putidiſſima eſt; aut naturæ quadam maleuolentia Homerum carperent: ſed commendationem prætexere Virgilij, hoc enimuerò fines omnis excedit inſolentiæ. Virgilius Homeri creſcat obtrectationibus? egregiè ſanè per Deum; illum ſibi ad imitandum propoſuiſſe; qui iudicio iſtorum hominum ſibi vnicè ſapientum, eſſet omnium deterrimus. Videte quæſo harum belluarum ſub humano corpore acutiſſimum iudicium. Apollo, ſi ſapis, meo vtere conſilio, caduceum illum, quem olim, pace cum Mercurio reconciliata, muneris ingentis loco illi pro lyra elargitus es, repete mutuum per aliquot dies: caduceum illum, quo

animas ille euocat orco,
Dat ſomnos, adimitque, & lumina morte reſignat:

nam euocandus tibi eſt ab inferis Hercules; cui, nondum omnibus domitis monſtris, tertius decimus omnium periculoſiſſimus reſtat labor. crede mihi digna ſunt ea monſtra Herculis claua; contra quæ depugnabit eo

liben-

libentiùs, quòd ſuſpicionem habere poſſit aliquam non temerè, ſubmiſſa eadem fuiſſe à Iunone in Virgilij perniciem; cui ſubirata, opinor, adhuc eſt pro Aenea in indigetes Deos relato; & pro illata in caſtiſſimam Didonem impuritatis infamia. ita enim prorſus eſt, non magis ij ſunt, Homero magiſtro, quàm ipſi, Virgilio diſcipulo, iniurioſi. Quòd ſi cœcorum in morem, cui Homerus innititur ſcipioni, agat illum ira calidus in gyrum. Sed, relìctis nugis, ipſe conficiet aliquando Virgilius hæc monſtra; qui ſe pleraque didiciſſe non inficiabitur ab Homero: quæ, cum ij lectitarunt homines inſipidi, ac inſulſi, intellexerunt numquam. eius ego furti non hic accuſo Virgilium, in quo, ſi peccatum quidquam eſt, habemus reum diffitentem nihil: cauſas tamen per collationem ex promiſſo inueſtigabo; cur in ijs aliquando, quæ pertinent ad fabulæ compoſitionem, ac ſyntheſim diſcedere voluerit ab exemplari: & ſi aliquid iuuenili permittitis confidentiæ, vter melius eorum fecerit, diligens, & æquiſſimus arbiter diiudicabo.

Ac primò cum intelligeret Homerus

rus, omnes illum non explesse partes beatitudinis, qui & actuosis exercitus non esset aliquando virtutibus, aut conquiescere impatiens esset in otio contemplationis, ac sapientiæ; ne vllam sibi partem abire pateretur intactam: alteram expressit in Iliade, complexus est alteram in Odyssæa. Achilles incredibili corporis, animique præditus fortitudine totus in prælijs est, ac certaminibus; nec vmquam in aliquam venit portionem felicitatis, nisi cum medijs deficit in laboribus: nec vspiam triumphat, nisi longissimè absit à triumpho, maximis bellorum implicitus difficultatibus. adeòque, ne infelix aliquando describeretur Achilles in otio, ac quiete: Iliadi finem imponit Homerus, interempto quidem Hectore, sed Troia nondum expugnata, idest nullo adhuc inuento laboribus fine. contra Vlysses ad absolutissimæ formam prudentiæ descriptus in Odyssæa, si in aliqua illum immittit vitæ pericula ira Neptuni. Mineruæ vtitur ope, in rerum angustijs præsentissima scilicet sapientia. & quamuis aliquod à fortitudine mutuare videatur auxilium in illa procorum carnificina; adeoque ad alte-

alteram virtutis partem se conuertere, quam adhibemus operando: nihilominus tamen ita illa patratur ab Vlysse cædes duobus tantum comitibus Thelemacho filio, & Eumęo subulco: vt intelligamus omninò primas in eo triumpho partes non fuisse fortitudinis, aut alicuius alterius actuosæ virtutis; sed has omnes veluti auxiliares, ac sociorum copias fuisse in aciem explicatas contra procos à prudentia; quam etiam facit Aristoteles omnium moderatricem ceterarum. Ex eodem etiam capite factum est; vt in Odyssæa solus exeat è periculis Vlysses; dormiat, ac quiescat tam sæpè; in longissimas euocet consultationes suos; Mineruam, quod modo dicebam, sapientiæ Deam, & consilij habeat ad res omnes adiutricem: ac demum absolutionem habeat poëma; cum in regnum ille patrium remittitur tutissimum, ac omnis immune laboris in posterum cum Penelope vxore, cum Laërte patre, cum Telemacho filio vita fruiturus quietissima. Vidit id etiam non minùs Virgilius oculatissimus poëta, quàm vidisset coecus Homerus; cuius ille sequebatur ductum, & premebat imitando
vesti-

vestigia. An non id sellularijs notum est, ac cerdonibus, sex primos Aeneidos libros descriptos ad exemplar Odyssææ; in postremis fuisse, velut in minori tabula, per singulas tamen partes expressam Iliadis longitudinem? Superuacaneum est dicere, laudatum priùs Aeneam à prudentia fuisse, deihde commendatum à fortitudine. Cum naufragium facit in mari Siculo, cum diuertit ad Didonem, cum Troianum excidium, ac septennem peregrinationem super cœnam prosequitnr, cum à Didone Deorum se recipit admonitione, cum ludos celebrat ad inferias patris, cùm viuus in loca descendit suppliciorum, ac in ipsos penetrat Elysios campos beatorum sedem, propositus fuit à poëta sapientissimo, velut imago eius virtutis absolutissima; quæ tota perficitur contemplatione, ac otium amat, nulli non anteponendum negotio; at verò cum legatos mittit ad Latinum regem, cùm nouæ ponit fundamenta ciuitatis, cùm bello lacessitus ad deposcenda vicinarum gentium auxilia percurrit Italiam, monente fluuio Tyberi; cùm suos vetat, absente se, extra mœnia Martis infideli-
tati

tati omnia committere; cùm redux Mezentium obtruncat, hostilem fugat exercitum, Pallanti facit funus, spolia opima Dijs consecrat, permittit hostibus cadauerum humationem, iterum pugnat, iterum debellat, ac demum singulari petitum certamine Turnum primum eius belli caput manibus mactat Pallantæis; per omnia deducitur actuosæ virtutis officia; & mortalibus ante oculos constituitur ad imitandum; si quando ab suauitate quietis digrediendum sit ad negotiorum asperitates.

Sed cum sic benè vtramque partem sitis vterque prosequuti: libet te primùm alloqui Virgili, ac ex te quærere; quid tibi venerit in mentem à magistro (neque enim hanc eius laudem nominis inuidebis Homero) à magistro tuo discedere, ac aliam viam insistendo, veluti correctionem adhibere, ac emendationem præeunti.

Duo sunt meo iudicio, quod ad eam rem attinet, de qua loquimur, quæ tibi vel displicuerunt in Homero, vel certè non adeò digna imitatione visa sunt; vt meliora tibi non sufficeret animus excogitandi. Duplicem quippe virtutem illam in duos

bipar-

bipartitus heroas Homerus eſt, & laudauit alteram in Vlyſſe, Achillem ab altera celebrauit: tibi contra tuus vnus omnia facit Aeneas, omnibus par vnus virtutibus: & quando ſemel animum induxiſti, vt ad optimi formam illud effingeres ſimulacrum; in vnum collectis Aeneam virtutum ſingulis formis, quas in multos in Iliade præſertim diſtribuerat Homerus, Pandoram extruxiſti pulcherrimam. Præter hæc cum ille in operatione inueniat initium, finem in contemplatione; nam Ilias, & rerum ſerie geſtarum, & quia priùs deſcripta eſt, antecedit Odyſſæam: peruerſus tibi fuit hic ordo; nec Aeneam priùs bellicis implicas actionibus; quam exercueris in quiete longiſſima contemplationis. Non ego Macrobium audio, qui te ſic eſſe vult Homeri pediſſequum, vt, ſi te offendat ab eius declinantem via, accuſet ſtatim eo nomine; quòd à recto tramite deflexeris: quia tamen noui prudens iudicium tuum; ad mei, meorumque auditorum inſtitutionem eius ego conſilium inueſtigo diſceſſionis.

Vtque primò iuſtis illud examinemus lancibus, quod primò fuerat propoſitum.

positum. dico Homerum in ea partitione verisimilitudinem sequutum magis, Virgilium admirabilitatem: quas duas virtutes in vnam, eandemque difficilè conuenire fabulam quis non videt? cum nouitas sit alterius conficiens; alteram non faciliùs nostris concilienius commentis: quàm cum ea fingimus, quæ verè populus verisimilitudinis iudex facta sciuerit aliquando. Admirationem quotus ignorat quisque filiam dictam inscitiæ fuisse ab antiquis? quòd ea demiremur; quorum causæ nostram intelligentiam latent: cum tamen interea vel rustici homines, ac agrestes non adeo parum suo plaudant ingenio; vt ea fieri facilè credant; quorum ipsi cogitando causas, ac rationem inuestigare non possint. Stellas in via lactea minutissimas Luna maiores esse, ac ipsa terra, figmentum ij credent ingeniosum mathematicorum; qui non priùs aut experiendo, aut exquisitiori examine, omnino aduerterint, quantis deueniant spatijs res omnes ad nostros oculos minores; quæ longissimis distant interuallis. ex quibus omnibus illud euincitur, ignorationem parere veri dissimilitudinem, quæ alio partu genuit

nuit admirabilitatem. Hanc ſibi maximè propoſuit Virgilius: cum ſic omni virtutum Aeneam inſtruxit ſupellectile, quod eſt rariſſimum, ac maximè nouum: noluit Homerus à veroſimili ne latum quidem vnguem diſcedere, cum ſingulis hominibus ſingulas affinxit virtutes: cuius veritatem partitionis experientia planè probat quotidiana. Et quoniam ingenioſus eſt vterque, ideſt in omnem partem nimius: adeo alter veriſimilitudinis amore trahi ſe paſſus eſt, vt non ſolùm nihil eorum heroibus affinxerit ſuis, quæ poſſent humano videri maiora faſtigio, nimiaque ſua luce vmbram facere aliquam, ac ſuſpicionem fallaciæ: ſed etiam ſuæ ſuperſtitionis Deos ad humanum viuendi modum exactos, vitijs tum corporis omnibus, tum animi aſperſit adeò: vt in iuſtam induerit ille ſe ſapientum hominum reprehenſionem. alter adeò vires omnes in vnam intendit curam admirationis conciliandæ: vt nihil omnino reliquum fecerit; quo ſuos ille Deos Aenea facere poſſet præſtantiores: qui iam Deus dici poſſet (de illa Deorum colluuione loquor, quam vetus diuinitate donauit ſuperſtitio) dici, inquam, poſset Deus,
G quæ

quæ illius est supra omnem humanitatem virtus, priusquam abluta in Numicio flumine mortalitate, cœlo reciperetur inter indigetes Deos. Percurrite, si libet, per ea omnia, quæ à diuinitate deriuari possunt in nos; & ijs præteritis, quæ vt sint innata Deo, & cum ipsa coniuncta vi diuinitatis; si tamen traducantur ad mortales, vel omnino sunt extra illorum naturam in fortuna sita; vel in ipso consistunt corpore, in parte hominis deteriori: cuiusmodi sunt singularis illa potentia, & maxima, qua possit quæcumque velit; dominatus in omnes amplissimus nullis regionum circumscriptus limitibus; aliaque ex eodem genere non adeò multa; quæ nec heroëm faciunt, omnem licet excedentia mediocritatem; nec magnitudini officiunt heroicæ, si non affluant ex meritis. Percurrite, his igitur præteritis, per eas felicitatis diuinæ partes; quæ intra ipsam animæ sedem constitutæ, conficientes maximè sunt in nobis beatitatis; ad quas Christianos etiam homines religione imbutos vera exhortatur Deus, neque solùm per eas ite virtutes; quarum ij sciunt esse compotem Deum, qui vera sentiunt

de

de diuinitate : ſed etiam per alias, quibus ille vacuus quidem eſt; propterea quòd ex intima ſui notione ſint aduersùs mala remedium, quæ nulla eſſe poſſint in illa præſtanti, æternaque natura; quibus tamen virtutibus carere ſuos antiquæ ſuperſtionis homines noluerunt Deos; temperantiam exempli cauſa, modeſtiamque: nullam recenſebitis; quam numeris abſolutam ſuis omnibus in Virgiliano laudare non poſsitis Aenea. Temporis premor anguſtijs, nec mea poteſt ire per ſingulas oratio: quàmquam in re verſor adeò ſermonibus omnium trita; vt ſuperuacaneum ſit longiori ſermone per omnes particulas de illa diſſerere. At quis non videt, ex dictis illud euinci, quod affirmabam initio; conformatos, & expictos Achillem, & Vlyſſem ad normam veritatis; quos aliquando fuiſſe facile animum inducere poſſumus, vt credamus; quia ſingulos homines ſingulis excellere virtutibus commune, ac obuium eſt: ad ſpeciem verò admirabilitatis compoſitum Aeneam à Virgilio fuiſſe ex integro virtutum cumulo; quas adeò eſt difficile in vnicum hominem conuenire: vt vix id fieri poſſe, aut factum

aliquando mereatur fidem:

Dum hæc ego sic disputo non ita sim impudens, ac imprudens, vt alterum illorum accusem, aut in iudicium vocem non seruatæ poëticæ præceptionis. Et Virgilius non discessit à verisimilitudine in tam excellenti Aeneæ conformatione: neque Homerici Achilles, aut Vlysses admiratione minùs afficiunt nos; quòd non ad omnes facti videantur virtutis formas. Cum enim ab Aristotele dictum est capite poëtices septimo, id hominibus incredibile videri, quod factum nesciunt aliquando; angustos ille fecit limites poëticæ fictionis: vt nihil vellet aliud poëtis permissum; quàm ex veris multis historijs fabulam quodammodo consuere: cuius singulæ partes, vt non abhorrerent à veritate, ita tota illa coagmentatio partus esset ingenij; quæ sola supra ceteros artifices poëtas maximè faceret effictores. illam enim ego existimo mentem Aristotelis fuisse, id nos existimare, fieri non posse; cuius aliquid genere simile factum non sit. Cum igitur & ex historijs & nostro etiam æuo sçiamus esse non paucos; quos non vna tantùm virtus, sed plurium conspiratio fecerit

fecerit commendabiles : & quia virtutum eſt inter ſe nexus multo iucundiſsimus ; nec ſolùm vna non exturbat alteram ; ſed inuicem, manibus veluti traditis, in chorea trahunt ſeſe : inde naſcitur, vt magnum quidem exiſtimemus, ac rarum ; non tamen abhorrere à veritate ; quod in vnum aliquem conſpirarint omnes aliquando. Quæ enim comparari poſſunt inuicem, ea ex ipſo Ariſtotele in logicis genere non differunt inter ſe. Apud Homerum contra ſingularis illa Laërtiadæ ſapientia, aut militaris Pelidæ fortitudo ita trans omnes gradiuntur fines humanitatis ; vt ad Deos etiam ipſi non longo accedere videantur interuallo. & obuium quidem eſt aliqua præſtare virtute : ſed non obuium, in eadem virtutis forma tantis retro ſpatijs ceteros relinquere mortales. id quod negotium faceſsiuit Ariſtoteli, vt crederet ; Homerum etiam, dum nimio aucupatur opere admirabilitatem, receſsiſſe aliquantulum à probabilitate. An non intelligis ad interimendum Hectorem ; qui, cum abeſt Achilles, vnus integro par eſt Græcorum exercitui, ideſt par Heroibus, quos vmquam miratus eſt or-

bis terrarum, maximis, maiori opus fortitudine fuisse: quàm ad Turni regis cædem, aut Tyranni Mezentij; qui, vt fortes sint, ac imperatores strenui; non tot, ac tanta in Latino bello edere describuntur exempla fortitudinis à Virgilio, quot Hector exhibuit in Troiana obsidione? Confer Vlysses pericula cum naufragijs Aeneæ. quanto illa fuere asperiora: tanto Vlyssis prudentia in ijs euincendis enituit magis. In summa quęsiuit admirabilitatem Homerus in excellentia quadam virtutis vnius: reperit Virgilius in perfectissima omnium coniunctione. hic discedere noluit à verisimilitudine, non multùm in singulis transgressus limites humanitatis: ille rem probabiliter ad hominum opinionem exposuisse se credidit; quod in singulari virtutis vnius præstantia continuit heroëm suum. cum interim liceret vtrique, aliquid supra communem morem effingere: quoniam non vulgarem animo de hominibus eius æui consignauimus opinionem; quos Dijs genitos, superis interiectos, ac mortalibus, poëtæ appellauere semideos.

Exquiris ex me, quid ego sentiam de vtroque? primùm non respondebo.

bo. vox cogi non poteſt; aut cui liberum aliquando non fuit ſilentium? Pergis moleſtus eſſe? dicam in ea re partes potiùs eſſe meas aliorum excipere iudicium, quam interponere meum. Quæ hæc confidentia, Homerum, & Virgilium ante tribunal meũ accerſere, qui annos vix attigi culicis Maroniani? Si tamen hanc iuueni mihi datis audaciam, reuerenter dicam: ſummus vterque. placuit tamen magis Homerus non ſolùm mihi; ſed & Italici nominis poëtæ celeberrimo Torquato Taſſo; qui, quantùm conijcere potui & ex eius poëmatis allegoria, quam ipſe retexuit, & ex opere ipſo, quod ſemel, aut iterum percurri potiùs, quàm relegi, ex Heroibus neminem omnibus inſtruxit virtutibus; ſed ſingulas penè diſtribuit in ſingulos, ita tamen, vt præcipuos habeat in ceteris Gotfridum, & Rinaldum; quorum vter in eo ſit poëmate, vt græcè loquar, protagoniſtes; dubitari adhuc video ab eruditis viris. Licet enim à Gotfrido totius exercitus imperatore fabula nomen inuenerit; cui nomen facere ſolet is; quem poëta ſibi ſingulariter laudandum propoſuit ad imitationem ceterorum: Rinaldus tamen qui plu-

rimum operæ confert in illud bellum, siue suo discessu multú inuehens detrimenti copijs christianorum, siue certam reditu ferens victoriam; magis accedere videtur ad Homericum Achillem. sed non erat hic ea de re locus disputandi. Placuit igitur Torquato Tasso prudentiam, quam in duce desideramus maximè, in Gotfrido laudare singularem; quem verò allegat ideò ad opera fortitudinis, aut in aperta visæ discrimina dimittit ex militari præcepto; quo vetitum est imperatoribus, nisi si re in grauissima, suum periculis caput obijcere, & in ijs, quæ ad priuatos pertinent milites; muneribus exerceri. placuit proponere fortitudinis exemplar absolutissimum Rinaldum; cui difficillima quæque demandantur & cunctis commilitonum suffragijs, & ipsa summi, æternique numinis voluntate: quæ sic rerum fata disposuerat, & eius fortunam belli: vt sine Rinaldi ope nec bellum profligari posset; nec Solymorum vrbs, aut sepulcrum illud Christianorum omnium veneratione sacrosanctum, quod tres dies hominem clausit Deú, ab insani tyrannide vindicari, placuit eidem alias virtutum formas in

alios

alios distribuere : vt ex omnibus integrum, (quemadmodum ipse profitetur in allegoria) constitueretur simulacrum virtutis; quod ex vno desumi vt posset, aut esse difficillimum existimauit, aut nostræ vires excedere mortalitatis. Plurimi apud me ponderis est huius auctoritas poëtæ; & quòd illi magis videtur probatus Homerus, facit, vt existimem; aliquid in Homerica latere fabula sagacissimis ab illo introspectum oculis; quo illa Virgiliano posit anteponi contextui. tamen neque tanti mihi est, vt eius vnius mouear testimonio: ipsa epico proposita poëtæ vtilitas, vt inquit Horatius.

Et prodesse volunt, & delectare poëtæ,

in eam omnino me induxit opinionem. cuius quippe vtilitatis prouidum illud poëma sit, quod suos non prouocet lectores ad imitationem? & dissimules te magis ad imitationem vnius trahi virtutis; quam ad omnium simul coniunctarum æmulationem? Suspirare illam virtutum encyclopædiam possumus, & inuidere: habere an possimus in desiderijs nescio; quæ facilè deficiunt, ac moriuntur, nisi spe nutriantur ade-

ptionis. Et quia verissimum illud commune pronunciatum est, pluribus intentum rebus animum minorem conferre intentionem ad singula: facilior, & mollior nobis aperitur via ad supremum virtutis alicuius fastigium: quàm ad assequendam in omnium coniunctione mediocritatem. Distrahitur enim animus in partes varias, ac perturbatur: dumque nullam sibi virtutis partem, quam commendari nouit in altero, sibi decernit prætermittendam; duos, vt est in adagijs, sequutus lepores, nullum tenet. Adde præterea, tam admirabilem esse virtutum omnium connexionem inter se: vt nemo vnus vna singulariter sit præditus; quin alias saltem mediocritate moderatas consequutus sit. Et vulgare quoq; præceptum est apud Christianos etiam homines; singillatim insistendum aut extirpandis vitiorum radicibus, aut animo virtutibus inserendis.

Hæc ea sunt, quæ mihi faciunt Homericā partitionem maximè laudabilem: quam in epico vt sequerentur poëmate, adhortarer eos, quibus tantum dedit natura virium, & animi labor in poëticam impensus: vt heroico de faciendo poëmate

cogi-

cogitare posſint. Ea tamen quæ diximus Virgilium non improbant; quem iuſtas habuiſſe cauſas virtutum coaceruationis in Aeneam vidimus, nec propterea exceſsiſſe poëticæ probabilitatis fines.

In reprehenſionem incurri fortaſſe veſtrum alicuius Aud: quòd Virgilium prouincialem noſtrum contra ius fasque, & amorem illum innatum aduersùm ſua Homero poſthabuiſſe ſim viſus, homini extero. & vereor ſanè, ne ipſa fortaſſe culpæ fuga verſa mihi ſit in culpam, quia caruit artificio. Id enim ego maximopere fugiendum cenſebam, ne ſi Virgilio cauſam penitùs adiudicarem, id facere viderer, non cum æquitate rationibus examinatis, ſed amoris prę iudicio in Latinum poëtam. Non deerunt, dicebat heri mihi veſtrum aliquis, non deerunt, qui Virgilio ſingulariter faueant, ea vtenti lingua, quæ viget adhuc, & floret. O quantùm ab antiqua decidit Homerus gloria, græco ſermone prolabente! Sed vt ego inter eos maximè adſcribi voluerim, qui nihil omnino deſiderant in Virgilio: ita vos, opinor, Aud: meum hodie factum probabitis: quòd Homeri pro meis vi-

ribus iam penè desertum susceperim patrocinium.


Alterum, in quo mihi essent conferendi, quia vestra certum est, non abuti longiùs humanitate, in alterum differemus diem. non expectate, vt is à me definiatur hodie: dimittam ego, id quod erit magis ex officiorum legibus, per singulorum domos præcones, qui ad constitutum diem inuitent vos. id vnum interim scitè supra sextum diem, in quem indictæ sunt rhetoricis feriæ, meos labores prorogari non posse: semel incuria fefelli. bis fallere Romanum hominem non decet.





VIRGILII ET HOMERI

Collatio Secunda.



EX Areopagitarum lege, quam hodie mihi temporis imponunt angustiæ sine proæmijs, ac exordio ad primas hodierni conuiuij mensas eius orationis analecta recolligo; in qua quærebam ante quintum diem; cur duplicem illam virtutem

in

in qua tota vis cernitur beatitatis, contemplantem, ac agentem, in vnum collaturus Aeneam Virgilius, quas tribuisset Homerus in Achillem, & Vlyssem; peruerterit etiam ordinem præterea Homericum, ab actuosa procedentis ad quietam; aggressus ille primùm officia contemplantis, prosequutus agentem in extremis. Neque solùm in ea dispositione intendenda mihi est disputationis acies in allegoriam: sed etiam in ipso insistendum est fabulæ, ac negotiorum cortice: quæ nuda licet etiam ipsa considerentur per sese, nec ad latentem aliquam occultiorem referantur philosophiam; in duplici constituenda sunt genere: quorum alterum negotiosum maximè sit, & laboris plenum: alterum, quamuis non extra periculorum aleam, totum tamen aptum sit ex prudentiæ, ac sapientiæ partibus in meditatione quiescentis. Neque enim poësis heroica præsertim eorum inseruire solùm vtilitati debuit; qui aut ingenij felicitate, aut doctrinæ præstantia penetrare possunt in intimos poëtæ sensus, & immersam in fabularum altitudinem expiscari philosophiam: verùm etiam, quia manibus aliquan-

do

do pertractari amat hominum ineruditorum: illos quoque, factis heroúm egregijs velut in bono lumine collocatis, ad eorú accendere debuit imitationem. Poësin ita picturam esse carminibus expressam (vulgaris est harum artium inter se comparatio) quemadmodum pictura poësis dici meruit colorata. at hominibus imperitis à Nicolao Rentio quis nescit olim fuisse propositam picturam, in qua facta maiorum recognoscerent, quæ degeneres illorum animos redarguerent; & iuuentutem ad Romani sanguinis gloriam suscitandam animarent? Ita prorsus est Aud:

Indocti legimus, doctique poëmata passim;

nec vllus cerdonum est, aut ex infima plebe sellulariorum; qui carmina non attigerit aliquando. & quamuis non ita sit res humilis heroicum epos, vt ad vilium hominum vtilitatem sit exigendum; quod principibus tantùm viris, & summis tantùm ducibus exempla proponit imitationis: nihilo tamen minùs quotus est quisque in primis istis, ac summis capitibus, siue militiæ studio, & publicorum impedimentis negotiorum distracti fuerint à studijs litterarum: siue

ſiue deſidia quadam, ac negligentia diſciplinarum; quæ ſumma ſolet eſſe in diuitibus, ac potentibus viris qui rhetoricæ limina attigerit? quotus quiſque in ijs eſt: qui eam vtilitatem à poëtica percipere poſſit per allegoriæ diſſolutionem, aciem ſæpè fugientis philoſophorum acutiſſimam? & horum quoque commodis debet poëſis proſpicere: ne vmquam veniat in manus alicuius ſine fructu, operæ pretio fruſtrata ampliſsimo. Neceſſe igitur eſt, vt is, qui animum aliquando ad poëma ſcribendum intendit, homines ſibi ſtatuat ante oculos omnis expertes doctrinæ: quos & admirabilium expoſitione factorum oblectet; & ingentium commendatione facinorum per æmulationem, ad eamdem famam nominis alliciat aucupandam: intereaque ſapientum quoque acutiori blandiatur ingenio: indignato in ijs quærere ſermonibus oblectationem; in quibus ſupra aures diſſerendi expertes, noui nihil animus expiſcetur coniectando. Diſputata ſint hæc ſatis nobis per epiſodium, integrum tamen, ac purum omnis Ariſtotelicæ reprehenſionis; quod, vt infra videbimus, nodum, ſoluit, ac ſyntheſim diſputationis.

Dico.

Dico igitur, Homerum proposuisse nobis Achillem, & Vlyssem non vnius tantùm exemplar, aut alterius actionis; sed vitæ mortalium vniuersæ: ac duobus in ijs operibus ætates hominum omnes affabrè depinxisse, quæ ad agendum aptæ sint, aut idoneæ ad exercitationem sapientiæ. Iuuentutem instituit per Achillis exempla iuuenis impigri, & qui est in ijs annis feruor sanguinis, non lenis precibus ab iracundia dimoueri, ac iram ferre impatientis. Bellum illud, quo lentè collisa est Græcia, obsistēte barbarie, continet fluctuantis æstus pectoris, ac intimas animi seditiones; quibus ille in varias distrahitur partes, cum, exeunte pueritia, in biuio constitutis Herculeo statuendum nobis est, quos nos, & quales esse velimus. Quo tandem feliciter profligato bello, reiectisque turpioribus voluptatibus, quæ animum in ea ætate maximè percellunt: alijs humanæ vitæ partibus vtile proposuit exemplar, Vlyssem per omnia deductum philosophiæ genera: cuius diuersas, & omnino contrarias pro accedentium, ac recedentium annorum conditione subinde probat opiniones: donec aut experientiæ

perientiæ magisterio, aut monitu Palladis, longisque disſertationibus, vergente iam in ſenium ætate, facti perſpicaciores applicemus mentem ad perfectiſsimam. Sed hæc diſputata ſunt ſatis nobis anno ſuperiori; cum per ſingulas partes Iliadem percurrendo, ac Odyſſæam, illud euicimus: deſcriptas eas ab Homero fabulas fuiſſe ad humanæ vitæ formam per allegorias accuratiſsimè ſub oculos mentis ſubijciendam. Alia fuit Virgilio mens. & qua in ſingulis negotijs homini prudenti ſit inſiſtendum ſemita; docuit per Aeneæ veſtigia; qui non ante in Italiam debitam ſibi fatis patriam ingreditur, aut opera virtutis aggreditur actuoſæ: quàm per digreſsionem à Didone, defœcato animo, atque ab omni rerum fluxarum aſpergine purè, preſſèque deterſo; & in ſuæ mentis receptus penetralia, ex philoſophia Platonis aberrans à ſenſibus, & abſtractus à corpore, longiſsima cótemplatione de finibus commentetur bonorum, ac malorum; qua ſpe præmij decertandum ſibi ſit; cui conſtituat imperium poſteritati longiſsima ſerie per egregios viros deducendæ, ad ſuprema vſque tempora totius re-

rum vniuersitatis. Et sanè quis non intelliget cursu leuissimo ad certissimam exitus felicitatem eas actiones iter contendere; quibus ea meditatio facilem viam substruxerit. Et hanc quoque doctrinam obduxit Virgilius, & in allegoria recondidit Aeneidos. fregit nucem hanc accuratè præter ceteros Tarquinius Gallutius magister meus; ac dulcissimum nucleum apposuit omnibus ad opulentum eruditionis conuiuium. Actum non ago: hæc tamen opus habui sic repetere: vt illud intelligatis ad id quod quisque spectauit, sui poëmatis egregiè partes disposuisse.

Si enim humanæ vitæ initia, progressiones, exitum ante oculos tibi proponas; & singulis ætatibus sua imponas officia virtutis: iuuentutem sibi virtus actuosa vindicabit; maturitatem sensuum, & consiliorum habebit tempestiuam in aliis annis sapientia. præit igitur actuosa virtus contemplationi: Ilias Odyssææ. Contra verò singulis actionibus lumen præfert, ac facem prudentia: quæ non permittit nos ad opus priùs accingi, quàm accuratè, & singillatim animo lustrauerimus omnes operis faciendi partes; ac omnibus examina-

tis

tis difficultatibus armis instruxerimus nos: ne quid inter aggrediendum opus occurrat; quod sua nouitate, non ante præuisum percellat nos, aut omnino retrahat cum ignominia, aut cum magno operæ detrimento frustra contra vim depugnantes incipites nos, ac impeditas præcipitet vias incertissimos euadendi. Quod etiam fuit diuinæ olim sapientiæ preceptum, non dedignatæ mortali voce nos instituere, propositis ex Hebræorum more similitudinibus, aut extruere turrim cogitantium hominum, aut pugnam, & defensionem parantis regis, aut solo aratrum imprimentis agricolæ. Hic fuit spectatus Virglio finis; imposuitque propterea sibi inuertendi ordinis necessitatem, vt præiret actioni contemplatio.

Vultis idem extra omnem allegoriam non per coniecturas, sed ipsis clarè, apertèque oculis in fabulis intueri? Fortitudo, quam in Achille laudat Homerus, in quam veniat ætatem tamquam in dominatum suum, si præterlabi sibi patiatur laborum immune, ac expers gloriarum floridæ ver iuuentutis? cum robur ipsum corporis nondum ætate aruit caden-

tis

tis adolefcentiæ; nondum fenectutis aduenientis autumno aduerfis tentatur valetudinibus; nondum hyeme obriguit ætatis decrepitæ; quæ iam capitis niuibus candidata apparet in petitionem mortis. Potuit ne ille ad iuuentutis mores Achillem accuratiùs defcribere, quàm cum impigrum eum defcripfit, & iracundum, inexorabilem, acrem, iura negantem fibi nata, nihil non armis arrogantem, monitoribus afperum, in vindictam facilem, imperia difficilem aliorum pati? O acerrimum Homere iudicium tuum! iram cotem fortitudinis non tu extinxifti, quod fecere deinde Stoici, fed correxifti; docendo vltionem aliquam iuftam effe poffe aliquando; quam publicum expoftulat bonum, aut pietas expetit in amicos: quam Achilles præftare fe Patroclo credidit, placatis ipfius manibus, quæ illorum temporum erat fuperftitio, Hectore occifo interfectore. Non tu forraffe iram illam moderati animi limites excedentem probas; quæ, remoto à certaminibus Achille, tot intulit clades Græcis: & fatis oftendis ipfe, illam improbari tibi, ex qua, tamquam ex venenato fonte, tot malorum flumin

mina ita Græcos inundarunt: vt penè sexcentis obrutos calamitatibus demerserint. ab hac absterritos mali exitus commminatione ardentes iuuenum animos reuocas: & ad illud iræ genus impellis, ac erigis: quæ impensa patriæ sanguine irrigatam, hostili, aut etiam suo sementem facit meritorum in spem messis honorum amplissimæ. Cognoscite Aud: prudentiam hominis, nihil eorum in Iliade prætermittentis; quæ facere videri possent ad informandam iuuentutem. quam, quia sciebat vtilia tardè prouidere, quamquam supra, ceteros Achillem efferret: non illum tamen esse iubet imperatorem exercitus; sed sub alieno esse vult imperio: vt illud intelligant iuuenes; non suas esse partes quid faciendum sit explorare: sed obsequentes ad illa, se opera conferre ardenter; quæ præcipiuntur à maioribus, ad quæ plurimum habet ponderis alacritas, & fortitudo.

Superuacaneum est ire per Odyssæam, quæ cumulatior multo præceptionibus est, ac exemplis: siue, cum in summa fortunæ acerbitate, desperatione nobis interdicit: siue, um illa sunt vincula reuellenda, qui-

bus

bus detinebatur Vlyſſes inuitus apud Calypſo : ſiue cum nudus, & inops ab amicis regum opem implorare, cogitur exterorum : ſiue cum de procis expellendis veniendum eſt in, conſultationem : ſiue cum prudentiſſimo vſus Mineruæ conſilio illorum vlciſcitur impudentiam, ac improbitatem : ſiue cum res domeſticas, & Ithacenſium publicas, procorum perturbatas inſolentia, iterum reducit in ordinem, ac emendat legibus; ne, vlla veteris remaneant veſtigia peruerſitatis. Quæ omnia quia prudentia duce geruntur ab Vlyſſe, aut illa ſolùm comite fortitudine, quæ animi continetur robore; & quia, per ſe ipſa pertinent ad eos; quos iam ætas maturior, & multa rerum experientia gubernationi admouit aliorum : ideò dicebam factam Odyſſæam eſſe ad horum præſertim hominum vtilitatem; qui rempublicam gerunt cum imperio. quamuis animo ſupino, ac ſtupido ea ſolùm intelligant, quæ in extimo veluti fabulæ cortice legunt exſcripta; nec in vllam penetrent partem interioris, ac latentis in allegoria ſapientiæ.

Vellicat neſcio quis aurem mihi, deque temporis admonitum breuitate

te, multa me tacita iubet prætermittere, multa inuoluere compendio: ne finem cogar dicendi facere priùs, quàm ea mihi dicta ſint, quæ dicenda neceſſariò ſunt in cauſa, admonentem audio. Permitto igitur ingenio examinanda veſtro ea præcepta, quæ procul ab omni allegoria ſui Aeneæ exemplo Virgilius nobis ante ſeruanda tradit; quàm facinori manum egregio imponamus. Scilicet vt omnem antea repetere, præteritorum caſuum memoriam debeamus, in quibus, velut in ſpeculo, futura contemplemur, atque adeò prudentiores efficiamur: vt omnes fibras voluptatum extirpemus; ne ſua dulcedine currentem remorentur; & propoſitæ per facta laudabilia felicitatis obliuionem inducant: vt omnibus ante defungamur officijs pietatis; quo nihil cuipiam debentes toti eſſe poſſimus in actione; nec pęnæ debiti non ſoluti vrgeant nos, ac operantibus intercedant importunè: demum vt finem, qui primus proponitur meditantibus, vltimas clauſurus partes in negotio, expendamus ad trutinam cum labore compoſitum; & an operæ reſpondeat pretium diligenter examinemus. Ite, deindè

deinde vos per ſex alios libros, in quibus ea meditatione præparatus Aeneas operantem partem aggreditur, & in ipſa verſatur actione: & formas illas internoſcite, quas ſubinde adhibet, ac identidem; fortitudinis nullis frangi periculis neſciæ, nulla reformidantis vitæ diſcrimina, difficiliora ſibi quæque arrogantis, in proſperis non elatæ, non concidentis in aduerſis, æquiſsimè iraſcētis in ſuperbos; moderatione vtentis, numquam tamen abiecta, quæ iracundiam ad omnis clementiæ ſpeciem emolliat opportunè, & ad veniam liberaliter ſubiectis in tempore condonandam erudiat.

Quæ omnia, quia ſæpè iam luſtraſtis, & contemplati eſtis in Aeneide: attentiſſimis iam animis expectatis, opinor, vt partis cuiuſque rationibus expenſis, ſententiam grauiſſimè pronunciem. Nolo hanc ego rem ad arbitrium meum reuocari: nempè ſummus eſt vterque, & inter ſummos nulla interponi poteſt comparatio, quorum neuter ab altero poteſt ſuperari. Vultis idem Homero, Virgilioque ſedeat hodie iudex; qui alterius quoque fuit arbiter diſputationis, Torquatus Taſſus? iudex

H pro-

profectò acer, & integerrimus. Non potest hic ille suum interponere iudicium, qui longissimè discessit ab vtroque: nam quas illi secreuerunt aut humanæ vitæ, aut negotiorum partes, commiscuit hic inter se: quãquam, sed præter omnium opinionem, eumdem adscribat ordinem Virgilio. Exordium igitur ferè nactus in prælio Gotfridus, multa deinde per prudentiam gerit remotus à contentione bellorum, siue cum Rinaldum in supplicium vocat; siue cum Armidam à sua petitione deturbat; siue cum milites, qui per tumultum impetrauerant auxilium fœminæ mendacissimæ, & fortè sequuntur illam ad incertissimum rerum euentum, priuatim admonet; vt ab insidijs caueant, neque sine circumspectione se in fidem eius nationis conferant; quæ numquam suam Deo fidem obligauit. Reditur post hæc ad operosa bellorum discrimina, & inter arma silet omnis sapientia: quæ post illa prælia qualis, & quanta magnam sibi partem poëmatis occupat, recensita Rinaldi posteritate, aduocata veluti diuinorum consiliorum adiutrice humana sapientia in Rinaldi restitutionem;
obiecto

obiecto eiusdem oculis chrystallino illo clypeo, vt suæ in illo recognitæ turpitudinis pertæsus aliquando, exurgat è cæno, ad pristinam erectus tam sæpè multis expertam casibus fortitudinem: quæ iterum suas egregiè partes peragit in excindendo nemore, in abigendis lemuribus; qui absterruerant alios ab impetu in arbores faciendo; in vltimo demum illo conflictu; quo à Christianis populis de duobus regibus triumpho reportato sepulcrum illud sacrosanctum hominis Dei gentium votis venerandum à barbara seruitute vindicatur. Benè, inquam, est, audio nescio quem vestrum è subsellijs in aures vicini hominis susurrantem. huic inter se virtutum complexioni quotidiana plaudit experientia; & in medijs implicat se negotijs aliquando consultatio; & noua nuper orta difficultas intercedit consultationi. illa præterea pulcherrima rerum vicissitudine quid aptiùs excogitari potuit ad oblectationem legentium? quos varietate capi scimus ex ingenio mortalium, & satietate ipsius expleri dulcedinis, nisi amaritie temperetur interiecta. Placet, quandocumque auctor ille citatur ad tribu-
 nal

nal nostrum, vestræ potiùs subscribere sententiæ; qui versati estis in eius operibus frequentiùs: quàm interponere meam hominis, vt verè fatear, à suauitate Italici sermonis abstracti studio latinitatis. Vestrum tamen nescio quis alter in memoriam mihi Pythagoricum illud reuocat dictum, si vmquam aliàs, in hac re maximè vsurpandum, per publicam viam ne ambules. Consilium, quod in arena capitur, sæpè impellit in arenas, ac syrtes; à quibus expedire nos sine naufragio non possumus. quæ autem sunt præuisa, ea iacula feriunt minùs, & faciliorem habent vulnera medicinam. humana prudentia, quia futura diuinare non potest, omnibus rerum euentis prouidere non potest; quæ sæpè habent exitum minùs expectatum: ab ipsa tamen prouidentia nomen inuenit; quia ex præteritis impendentium casuum coniectat euentus: & aduersùs hæc ipsa negotiorum incerta præparare se debet per consultationem; vt nouum hoc ipsum non sit, quòd multa incurrant noua. Si mittam ego vos in suffragia, verè nescio, in quam sitis maior pars discessuri sententiá? & ego ipse multum ei tribuo

poë-

poëtæ: quàmquam, quæ mei eſt ingenij tenuitas, non ſatis perſpiciam quid ille ſit ſequutus, dum ſic ab ijs diſceſſit, quos loco magiſtrorum veneratur: ſuſpicor tamen non ab illo factum id temerè; cui tam facilem ad Homeri, aut Virgilij normam potuiſſet emendationem adhibere. Primum illud initum ab exercitu Chriſtianorum prælium, vt primùm in Hieroſolymæ venere conſpectum, cur ad illud procraſtinari tempus non potuiſſet, quo iam ſeceſſerat à reliquis Rinaldus? At inquies, id ita à ſapientiſſimo poëta factum; vt ſequuta in eo prælio Dudonis mors egregiam rixæ præbeat occaſionem Gernando, Rinaldoque ducis locum demortui, vel ſua virtute, vel generis nobilitate, affectantium; ac propterea diſcedendi ab exercitu Chriſtianorum Rinaldo detur occaſio: qualem arripuit Achilles diſcedendi ab exercitu Græcorum. Laudo in ea re Taſſum, affectantem Homeri ſequi veſtigia. Sed non propterea tamen fuit poëtæ necèſsitas impoſita eius prælij committendi: cum alias multas cauſas iraſcendi præbere potuerit Rinaldo. Pauca quædam, ſi placet im-

muta, & longiori sermone prosequere Gotfridi prudentiam, ad bellum repetendum euocantis duces, cum nondum ipse creatus esset imperator. in ea re quanto tu fuisses Homero, Virgilioque felicior; qui eam solùm prudentiæ partem tractarunt, quæ pertinet ad principes: alteram scilicet tu quoque partem tetigisses, qua publicis bonis priuati etiam homines pro suis posśint viribus prospicere. Multum in ea re profectò Gotfridus laborauit; neq; tamen fortasse probaris omnibus: quod Gotfridum id sibi muneris arrogantem facias, quod imperatorum est. nam quantùm conicijo ex ijs, quæ super ea re leuiter inuisi, euocat ille ceteros duces ex imperio: & quamuis summi numinis id monitione fecerit certus iam imperij, quòd sibi reliqui essent delaturi: abutitur ille tamen imperio, qui priùs illo vtitur; quàm commissum fuerit: Neque reliqui duces, & maiorum gloria nobiles, & egregijs illustres facinoribus illam adeò facilè ferre possunt arrogantiam, aut militarem senatum cogentis hominis sine imperio; aut in eo senatu primas sibi partes dicendæ sententiæ suscipientis

tis. Non illam hoc ego loco pono quæstionem; vtrum dignus hic incidat Deo vindice nodus: sed illud sanè affirmatè pronuncio, non enucleatè satis fuisse per illam machinam recisum, per quam Gabriel ad Gotfridum vnicè inducitur, non ad alios duces. fac illum igitur in ea multùm euocatione laborantem, continentem se tamen semper intra ea munera; quæ hominem decent nemini quidem secundum, sed multos tamen habentem pares. Illud etiam, si placet, adde, in summa semper illum fuisse apud omnes veneratione, ac illi multum in omni re ceteros detulisse.

Atque ea diuersa penitus dum parte geruntur:

in tanta negotiorum segete facilè bonis inimica frugibus herba malorum congestu spirituum, non humano satu nascetur, sementem eius illatura discordiæ; quæ discedendi ab exercitu Rinaldo dare possit occasionem. Occurrunt in eam rem aliqua mihi; sed retrahenda est oratio in viam, à qua errauimus, Tassi nimis vestigia præter institutum prosequuti.

Redeo igitur ad Homerum, ac Virgilium; quorum vtrumque pro-

positum sibi scopum ad libellam attigisse pronuncio : prætereaque fuisse id vtrique propositum, quod in suo genere optimum esset, ac perfectissimum : & Homero quidem licuit totius humanæ vitæ informandæ magisterio defungi; quæ vnica non potest actione contineri; atque adeo plura illi fuere conficienda poëmata, licet aliquo sibi ordine inuicé subiuncta : voluit Virgilius actionis vnius benè disponendæ imaginem nobis proponere; quæ vnico tantùm poëmate fuerat exhibenda; nisi à fabulæ discedere voluisset vnitate. vt hinc etiam illud intelligas; quàm putida sit, ac leuis quorumdam accusatio grammaticorum; qui putant, Virgilium longè recessisse ab Homericæ fabulæ simplicitate; cum vnum confluerit opus ex duobus Homericis : nisi velint non eiusdem actionis esse, illius animo ante partes omnes compositò digerere; tum in lucem edere quæ in mentis curiam coacto consiliorum senatu decreta sapienter fuerint.

Multa mihi superessent alia de principibus poëtarum disputanda per collationem : sed quia non licet id per breuitatem temporis; earum ego quæ-

quæſtionum argumenta proponam, magnam ingenio veſtro, familiaribuſque, ac doctis ſermonibus ſegetem diſſerendi. Factum eſt enim etiam illud à Virgilio non ex Homerico inſtituto; vt nouæ cogitet Aeneas ciuitatis fundationem; cum ſatis Vlyſsi fuerit in patriam remigrare; ac ex bonis olim in Ithaca relictis iterum receptis, voluptatem, ac perfectam percipere beatitatem. Voluit Homerus, opinor, intelligi, quod ex ipſo didicere Platonici, tunc animum noſtrum beatum eſſe; cum totus aptus eſt ex ſeſe, in ſe vno ſua ponens omnia; & abſterſa labe vitiorum, corporataque concretione veluti expurgata, reuertitur ad originem ſuam. quàmquam neq; Virgilius Platonicorum dogmatum ſectator egregius hac philoſophiæ parte carere voluit Aeneidem ſuam. Hoc ſcilicet illud eſt, quod tam accuratè moneut oracula.

Dardanidæ duri, quæ vos à ſtirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos vbere læto
Accipiet reduces: antiquam exquirite matrem.
Hic domus Aeneæ cunctis dominabitur

nabitur oris,
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

quod vaticinium ex ipsorum deinde pen tium interpretatione per somnium ad Italiam, nostrumque Latium præsertim relatum fuit.

Est locus, Hesperiam Graij cognomine dicunt;
Terra antiqua potens armis, atq; vbere gleba,
Oenotrij coluere viri: nunc fama minores,
Italiam dixisse ducis de nomine gentem.
Hæ nobis propriæ sedes: hinc Dardanus ortus,
Iasiusque pater, genus à quo principe nostrum.

Quantùm in ea re ingenium tuum elucet ò Virgili dicam: nec quidquam mihi ab tuis, si quis adhuc superest, obtractatoribus timebo. Superasti Græcum magistro maior. Vt enim Platonem probas de animorum origine nostrorum tam altè sentientem; quæ verè, si non sunt diuinitatis particula, certè sunt ipsius imago absolutissima: ita cum Aristotele tibi persuasisti; perfectum non esse posse bonum apud hominem

nem ſolitarium, ſibi ſolùm conſulentem. quia enim natura ciuilis homo eſt, ac ipſum amat cum alijs bonum communicari; aliquod eſſe bonum, debet in politica multorum ſocietate: atque adeo tunc ad beatitatem ſibi ſufficit, cum in integra conſtituitur ciuitate. Ad hanc politicam felicitatem tuus appellit Aeneas demum, cuius antea compos non fuerat, dum nouam condit ciuitatem. Domeſticam Vlyſſes videtur aſſequutus beatitudinem, ideſt mediocrem cum Penelope vxore, cum Telemacho filio. Quamuis enim ille regnet apud Ithacenſes; eius tamen dominatus oblitus videtur Homerus: & quidquid in illo boni eſt, id totum redit ad Vlyſſem, qui ſine aliorum famulatu beatus eſſe non poſsit.

Deſcenderem ad ſingulas quoque partes ego libenter, & conferrem cum ſex primis Aeneidos libris Odyſſæam, Iliadem cum poſtremis. Dicam vnum exempli cauſa. Primus Homerus ingenioſiſſimè, vt oſtenderet, quantùm afferret Achillis fortitudo momenti ad victoriam, dat illi occaſionem ab exercitu diſcedendi; per cuius abſentiam ſpes om-

nis, & fortuna Græci nominis penè prosternitur ad interitum: eodem placato, ac in pugnam redeunte, rerum in aliam faciem commutantur vicissitudines, Græcis pollicentes victoriam, actis in fugam Troianis, Hectore interempto. Vidit illud artificium Virgilius, & probauit; adeòque Tyberis monitu remouet Aeneam à suis, ac dimittit ad colligendas auxiliares Hetruscorum, aliarumque gentium copias: dum interim vix vallo se Troiani defendunt ab audacia, furijsque Mezentij, ab Turni robore incredibili: quin & hic in ipsa penetrat castra; quem interceptum solum in medijs Troianorum copijs exturbasse de moenibus non exigua fuit laus Mnestheo, Sergestoque,

Quos pater Aeneas, si quando aduersa vocarent,
Rectores iuuenum, & rerum dedit esse magistros;

redit ingentibus auctus copijs Aeneas; conuertitur fortunæ status; cadit eius manu Lausus, cadit Mezentius, cadunt quicumque excellunt supra ceteros; ac demum singulari petitum certamine Turnum riualem vita spoliat, pacem suis, regnum

sibi

ſibi vnico vulnere conſequutus.

Qui campus mihi aperitur contentionum; dum conſero inter ſe occaſiones, quas nactus eſt herós vterque diſceſsionem faciendi, quam reditus opportunitatem? quantum intulerint abeundo calamitatum, quãtam victoriæ ſpem fecerint remigrando? quid id eſſet, quod, ipſis procul amotis, rebus feliciter geſtis interijceretur, vt à mali depulſi grauitate maior apareat ipſa depellentis fortitudo? Laborauit vterque calumnia: Virgilius, quòd non ex boni officio imperatoris deſerentem faciat ſuos Aeneam in periculis, ac relinquentem opportunos iniuriæ Latinorum: cum prudentiùs allegaturus aliquem fuiſſet ex ſuis ad opes auxiliares colligendas. ſed quia vindicias ſecundum libertatem ab ea vexatione, alijsque Virgilio dedit aliàs laudatus Tarquinius magiſter meus, ex poëticæ legibus, ac artis militaris accuratiſsimé: præuaricarer in causa, ſi malus orator eamdem ſuſciperem defenſionem. Vapulauit Homerus ab aliquibus; quòd Achilles priuatas iniurias publicæ anteferat commoditati, malis propemodum Græcorum inſultans, ſuæ contra v-

num

num Agamemnonem iræ ſubblanditus. Ego certè non poſſum non iſtorum admirari ſapientiam immoderatam; qui nullis volunt heroëm ſuum erroribus implicari. Peccet Achilles: non in eo Achillis peccato peccat Homerus; cum non probet, vti dicebamus, euentu felici Achillis iram. neque illum condemnaret Ariſtoteles, qui peccantem induci vult tragœdiæ Protagoniſtam, ſed eo flagitij genere, quod condonari poſsit. & non ignoſcamus iuueni fortiſsimo qnòd iraſcatur plus iuſto? nimirum quòd ea concitetur animi perturbatione, ſine qua vigere nō poſsit fortitudo. Quamquam quid ego? pernego peccare Achillem priuatæ iniuriæ Menelai, quæ in eo bello vindicatur, ſuam præferentem iniuriam; non rei Græcorum publicæ, quæ non agitur in Helena repetenda. Et laceſsitus ab Agamemnone Menelai fratre Achilles, dum ipſis inſeruit, non habeat iuſtam iracundiæ cauſá, & ingratiſsimum hominem deſerendi?

Non video ſanè, quomodo ſe à pari, ac gemina tueatur accuſatione Taſſus; qui, cum illud in ſuum poëma transferret artificium, offert primò


mò quidem Rinaldo dignam heroë causam, cur discedit à Gotfrido. Indignatur nimirum, vulgarium hominum more de vinculis causam dicere interempti Gernandi: quamuis ipse diffiteri non possit, se in ea vltione nimis iracundiæ obsecundantem leges ab imperatore præscriptas transilijsse. Sed, vti dicebam, culpa in iracundiæ admissa vehementia, condonari potest fortitudini: amoribus verò fœminæ vilissimæ, & magicis imbutæ artibus implicari; dicat ipse; an virum deceat laudem expectantem ab animi magnitudine, à robore corporis; quæ nulla re magis eneruantur, quàm mulierositate? Adde præterea tam feliciter id euenisse Rinaldo, vt ansam alijs errandi præbere posse videatur: & tanti erat impudicissima fæmina, & triuenefica, quæ tot intulisset Christianis mala, vt vehementissimo studio Rinaldus iratam sibi demulcendi laboraret; Deerat hoc etiam, vt nescio quis ex heroico poëmate facetissima metamorphosi comœdiam addita celebratione nuptiarum. Probantur ea facilè, & ad imitationem alliciunt, quæ facilem siue virtute, siue fortuna exitum sortiuntur.

tur. At hæc per allegoriam sunt di-
cta. malè sit istis allegorijs, quæ
postquam altissimum animis inflixe-
rint vulnus turpium amorum exposi-
tione, medicinam adhibere se profi-
tentur incertissimam. Quæ ista in-
sania est labra vasis, quo medicinæ
amaritiem pueris propinamus, dulce-
dine oblinire venenata? Contineo e-
go me, Auditores, quamquam ne-
mo nostrum, Patres, deberet se
continere, donec eum ab Italica
poësi morbum demoueremus; vt pos-
set etiam illa honestæ matronæ ha-
bitu prodire in publicum, & libe-
raliter cum omnibus versari. Sed
maioris illa res est operæ, ac tem-
poris, quo certum est non abuti.
Redeo igitur ad Homerum, ac Vir-
gilium. Discessus Aeneæ, ac reditus
apud Virgilium simplicissimus est,
nec aliqua implicatus occasione na-
scenti de improuiso. cum enim pri-
mùm Aeneas discessit, iam diuinas,
collectis illum copijs rediturum ad
suos. Quàm egregiè impedit Home-
rus! & dum maximè vereris, ne so-
lutis anchoris, recisis funibus, soluat
in patriam redux Achilles: quod an-
te conijcere non potueras, Patrocli
mors interuenit, quæ iram iustam
magis

magis ad vlciſcendi amici necem accendat in Achilis pectore, & clauum, vt eſt in prouerbijs, clauo trudat. Redit Aeneas ad Mezentium opprimendum, & Turnum: redit Achilles ad cædem Hectori inferendam. magnum vterque perficit opus reliquorum omnium viribus maius; vterque victoriam in hoſte reperit interempto. Quid de te Taſſe dicam? doleo tui cauſa, quòd in comparationem venire volueris ſummorum capitum. magnus per te ſolus: ſi conferri cum Virgilio velis, & Homero non tantus. Quantum Rinaldi reditus implicatur in illa ſapientia, à qua tu te ipſe ſatis expedire nón poſſis, an humana ſit, quæ tam ampla rerum miracula præſtare non poteſt, an rebellium à Deo ſpirituū inſtituta magiſterio, quæ habere commendationem non meretur à Petro viro ſanctiſsimo. diuina certè non eſt, cuius facis illos homines peritos, antequàm piacularibus aquis luſtrarentur. Demum, vt ad rei caput deueniam, reuocatur Rinaldus ad excindendam ſiluam præſtigijs obuallatam, & laruarum fallacijs. ideſt, fit Rinaldus faber: aut, ſi vis etiam, vt noſtris vtar vocabulis, exorciſtes.
Illud

Illud, quidquid erat muneris, aut Petro primùm demandari debuit, aut Adimaro; tum fabro alicui: nisi si velis summæ opus esse fortitudinis quodcumque sit illud, etiam si pertractetur à lixis, & calonibus; quod ad victoriam habeat necessitatem. Inducis Deum per machinam, qui Rinaldi fortitudini eum laborem reseruauerit. miseret eorum me, qui sic dicunt: pietate depugnatur contra tartareas animas non ferro, non fortitudine corporis.

Quæ sic diximus nolite putare vos, dicta fuisse obtrectandi causa. veneror ingenium Tassi, & vehementer colo, & plura in eo esse, asseueranter aio, quæ laudationem mereantur, quàm quæ velint excusari. sed, vt in declamationibus antiquorum vsurpari solebat, hisce voluimus ingenium exercitationibus colere, in quibus siue placuimus, siue non placuimus Plaudite Aud: non fiui orationis meæ; sed exordio feriarum. Ilicet igitur nemo vos tenet, neque me teneat quisque ad maiora in summa montium fastigia properanti.



ARGVMENTVM ARGONAVTICORVM APOLLONII

hùc extra ſuum locum per incuriam tranſlatum.



CVm Pelias Theſſaliæ Rex ſibi ex oraculorum reſponſis timeret ab eo, qui

qui alterum nudus pedem sibi occurrisset. & fortè Iason Aesonis Peliæ fratris filius inuitatus à Patruo ad solemnia Neptuni sacrificia in traijciendo Anauro fluuio alterum calceum in profundo limo defixum amisisset: hunc sibi cauēdum maximè conijciens Pelias: consilium inijt de illo immittendo in opus plenum periculorum. quare iubet illum in Colchidem nauigare; atque indè aureum vellus, quod ingentis magnitudinis Draco seruabat, ad se afferre. Iunonis, ac Palladis auspicijs socios operis, ac periculorum cogit Iason. in quibus præcipui fuere

Orpheus, Mopſus, & Idmon augures, Aethalides Mercurij eloquentiæ Dei filius, Typhis nauticæ artis peritiſſimus, Zethes, & Calais Boreæ filij vento ipſo perniciores, Caſtor, Pollux, Hercules, alijque, Heroës omnes, & in poetarum fabulis nobiles. Nauim longam, quæ de architecti nomine dicta fuit Argo, conſcendunt. ac primò Lemnum appellunt: vbi, omnibus paulò ante occiſis maribus, ſolæ habitabant fœminæ. Hìc Hypſipyle Regis Thoantis filia propter ſeruatum parentem pietate celebris, ſuis amoribus delinitum Iaſonem, aliæque mu-


mulieres alios Argonautas diù detinuere: donec Hercules otij, ac moræ impatiens obiurgatos in nauim iterum omnes coëgit: ſed inter nauigandum Hercules ſtolida fortitudine remum frangit. quem, deſcenſione in terram factā, vt reparet, dum Hylam perquirit ob iram Iunonis amiſſum, diù expectatus à ſocijs tandem deſeritur. Nauigationem iterū adoriuntur inter maximas difficultates, ac præſertim trāſeundum ijs fuit per ſymplegadas, ſcopulos tanto impetu inter ſe concurrentes; vt ab ijs nullū eſſet effugium; niſi tanta velocitate nauis

præ-

præteruceheretur , quanta fertur columba per aërem. Ijs tamen, alijsque periculis ſuperatis, tandem Colchos appellunt. Et cum Medeam Æetæ Regis Colchorum filiam Iuno illi conciliaſſet; atque adeo ſui amore captam Iaſon illam ſecum in Theſſaliam ducere pollicitus fuiſſet; vbi legitimis nuptijs ſibi copulatam in regni conſortium aduocaret: eius ope conſopito Dracone, alijſque periculis perfunctus Iaſon, quæ ſupremo in opere occurrerunt, vellus tandem aureum refixit ab arbore; & remenſus nauigationem longiſſimam itinere quàmquam

quam faciliore ſecum in patriam vexit, cum ſpe diuturnæ in poſterum felicitatis.

Finis primæ partis.



OD-

ODDONIS DE COMITIBVS SILVARVM RHETORICARVM

Pars Secunda,

Siue

PROSAE MISCELLAE.





Litterarum humaniorum

DISCIPVLIS, ET AVDITORIBVS

IN COLLEGIO ROMANO SOC. IESV





ODDO DE COMITIBVS
Ex eadem Societate.
Benè diſcere.

SAlutatis in prima parte mei operis magiſtris veſtris, vos quoque in hac ſecunda ſaluere iubeo, Ado-

lescentes optimi. in hanc etenim partem siluarum mearum immittere securim potestis liberiùs. Scilicet siluæ quædam sunt adeo ramosæ, & surgentibus vndique stolonibus adeo implicitæ; vt in eas ingredi sine periculo errandi non liceat, nisi maximè peritis; aut sine vulnere, nisi maximè fortibus; aut sine prolapsione, nisi valdè leuibus, & attentis. Tales mihi visæ sunt Homericæ allegoriæ; tales Homeri cum Virgilio collationes. in hisce verò, quæ subsequuntur, miscellis prosis, cum pleræque ad genus Epidicticum pertineant, latiori quasi, atque apertio-

ri

ri campo lusimus: stylo, in quo exercendo impenditur ista vestra ætas, indulsimus liberiùs; atque adeo, pro varietate materiæ; eloquutionis quoq; formam variauimus. Profectò de passione Christi Domini dicturo mihi coram summis Christianæ Reipublicæ capitibus, flores intexere Rhodios nō licuit. & ad busta martyrum non aliter, quàm Laconicè, fuit perorandum; cùm ea oratio haberetur inter solennia sacra, quæ magnam diei partem præripiebant. et breuitatem impendio efflagitabat elogium ad Eminentissimum Principem Card. Ludouisium Gregorij


lescentes optimi. in hanc etenim partem siluarum meарum immittere securim potestis liberiùs. Scilicet siluæ quædam sunt adeo ramosæ, & surgentibus vndique stolonibus adeo implicitæ; vt in eas ingredi sine periculo errandi non liceat, nisi maximè peritis; aut sine vulnere, nisi maximè fortibus; aut sine prolapsione, nisi valdè leuibus, & attentis. Tales mihi visæ sunt Homericæ allegoriæ; tales Homeri cum Virgilio collationes. in hisce verò, quæ subsequuntur, miscellis prosis, cum pleræque ad genus Epidicticum pertineant, latiori quasi, atque apertiori

ri campo lusimus: stylo, in quo exercendo impenditur ista vestra ætas, indulsimus liberiùs; atque adeo, pro varietate materiæ; eloquutionis quoq; formam variauimus. Profectò de passione Christi Domini dicturo mihi coram summis Christianæ Reipublicæ capitibus, flores intexere Rhodios nō licuit. & ad busta martyrum non aliter, quàm Laconicè, fuit perorandum; cùm ea oratio haberetur inter solennia sacra, quæ magnam diei partem præripiebant. et breuitatem impendio efflagitabat elogium ad Eminentissimum Principem Card. Ludouisium Gregorij

XV. Pont: Opt: Max: fratris filium, inter nos prandere humanissimè non dedignatum, & interim audire disserentes Patres nostros linguis omnium fermè nationum. neque fortasse displicebunt eæ orationes nostri temporis ingenijs, quæ argutias amant ad eloquentiæ despicatum! Nihil me vetuit in laudibus S. Philippi Nerij exultare iuueniliùs; & Asiaticum stylum adhibere. Potui in deliberatione contra Areopagitas adeo ludere licenter, vt eorum consultum examinauerim ad leges Senatus Romani. enimverò declamatio illa est similis ijs, in quibus olim, &

nunc

nunc commentitijs argumentis exerceri ſolita eſt iuuentus. Proluſurus ad ſcholas philoſophiæ declamatorem quoque potius egi; ideſt, ad artis rhetoricæ formam manum aperui, nō ad dialecticæ morem pugnum ſtrinxi. Quod ſi ego aſſecutus id fuiſſe existimabor; vt ex hiſce ſiluis flores aliquos imitatione decerpere poſſitis: nihil moror ſeueriorum iudicia; quibus id omne infructuoſum eſt; quod ad puram, liquidamque facit voluptatem.






CHRISTVS PATIENS NOVVS ADAM SEPVLCRO CORDIS INCISVS.

ORATIO

HABITA IN PARASCEVE

Coram S. D. N.

VRBANO VIII.





Ortuo iam Deo, extrema de Sepulcro, ac de comploratione ſupereſt cogitatio B.me P. neque enim fas eſt nobis otioſis effluere laborioſam vitæ mortalis paraſceuen; quam

quam excipiet [1] magnus ille dies requietis à mœroribus, dies ſabbathi ab actione fructuoſa in omni æternitate feriati. cauendum quippe diligenter eſt, ne cadauera noſtrorum peccatorum [2], quæ ſecum ſuæ Chriſtus aſfixit Cruci, indefleta remaneant in Cruce ſabbatho, nullius poſtea precibus detrahenda. Sed te, quem ſpatia cœli ampliſsima capere non poſsunt, de cuius diuinitate mors imminuit nihil, quod capiet ſepulcrum; in cuius fronte ſine ſuſpicione cenotaphij legatur ſolenne illud, DEO MAXIMO? aut quis mortalium lacrymis æquabit mortē Dei [3], beatiſsimis pacis Angelis amarè defletam? Deliberationem hanc difficillimam ipſe ſuſcepit, & confecit Chriſtus; qui ex more hominum futuri prouidentium, hoc eſt vnicè ſapientum, dum viueret, mortis memor, conuerſus in cibum, excisum de petra cor humanum corpori ſuo ſepeliendo dedicauit [4]: & vetitis ſuper ſe flere mulieribus, noſtrum peccatum, ac pœnas vnicū propoſuit doloris, & comploratio-

1 Io. cap. 19. v. 31. 2 Coloſſ. cap. 2. v. 14. 3 Iſ. c. 33. v. 7. 4 Luc. 23. v. 28.

nis argumentum. Exequar ego hodie hanc supremi parentis nostri voluntatem: & dum illi sepulcrum in humano corde molior, exponam alteram dominicæ Passionis partem, idest ea, quæ gesta sunt, antequam quidquam pateretur ab hostibus: in altera Christi cruciatus cum Adæ peccato ijs miserabiliter repræsentato sic conferam: vt, dum eius morti grati lacrymas impendimus; easdem vtiliùs ex ipsius monito salutari conuertamus ad nos; & Christus patiens nouus Adam sepulcro cordis flebili commemoratione illatus incidatur.

Nemo tamen hìc mihi obijciat humani cordis angustias; cui se committitur Deus, priùs in hominem, mox etiam coarctatus in buccellam. quamquam totum illud ambitu suo concludit cor, quod amore ambit; & in tantam extenditur latitudinem, quantùm extendit desideria; vnico propterea implendum Deo; in quo nihil desideratur. Quod si tu olim in horto sepulcrum elegisti hortensium, campestriumque florum flos illibate: an non hortus humanum pectus paradisus voluptatis Dei, dum florebat innocentia; quem hortum

Pater tuus omnipotenti 1 plantauit manu, facta semente virtutum? Præterea (vt sepulcrum sit ex veteri oraculo 2 vndique gloriosum) sepulcrum quis non decernat tibi, sacrosanctum non solùm hominibus, sed 3 & igni extremo illi, cuius calore omnia dissoluentur? an ego nesciam 4 hominum corda, quibus venenum fuerit infusum, igne non comminui? aut quis dissimulet cor suum sæpiùs fuisse veneno peccatorum infectum? vtinam non reseruandum 5 ardoribus sempiternis. Quòd si tantus amor crucis, vt illam ex 6 Hebræorum vsu non longè á tuo corpore cum reliquo ferocissimæ lanienæ instrumento recondi iubeas: audiam ego deprecantem Sapientiam 7 fili præbe mihi cor tuum; & 8 fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Sed hora iam sexta peracta, illucescente sabbatho, tempus breue est; atque adeo iuxta locum cædis oportet es-

1 *Gen.2.v.8.* 2 *Is.c.11.v.10.* 3 *Pet.2.c.3.v.10.* 4 *Plin.lib.11.c.37.* 5 *Is.33.v.14.* 6 *Bar.ad ann.Christi* 320. 7 *Pro.23.v.26.* 8 *Cant.v.13.*

ſe monumentum, heu quàm prope, cor humanum [1] agnus ille ab origine mundi fuit occiſus Adæ peccato: in cuius pectore liberorum corda (transfuſis in illum omnium voluntatibus) collocauerat Deus. Quid, cum ſe futurum in corde terræ prędixit [2] Chriſtus: an potius Adæ cor ſpectabat, primi nimirum illius hominis de terra terreni [3]? Quid ſi verè in Caluariæ monte ſepulcrũ habuit is, qui peccando ſepulturæ mortalibus neceſsitatem impoſuit: an quiſquam neget cædem Chriſti prope cor Adæ factam? eodemq; loco ſepulcrum illi conſtituendum?

Excidite igitur filij Adæ, excidite monumentum Deo in corde veſtro: quod diuinæ charitatis igne deſtitutum, peccati gelu concretum, iners ad motus bonos, obſtinata inſuper excuſatione, obduruit in lapidem. Mutanè igitur terra Chriſtum receptura tremuerit? ſciſſæ fuerint petræ? aperta monumenta? exturbata corpora mortuorum? humana pectora Chriſtum [4], in eo conui-

1 *Apoc. 13. v. 8.* 2 *Matth. 12. v. 40. Cor. ep. 1. c. 15. v. 47.* 3 *Bar. ad ann. Christi 34.* 4 *Breu. Rom. in off. Corp. Christi.*

uiuio receptura, in quo recolitur memoria paſsionis eius, non concutientur ad vindictam? non diſfringentur doloris vi? amoris impetu ſinum Deo non aperient? &, ne indecorè iaceat inter cadauera 1 primogenitus mortuorum, ac reſurgentium, commiſſorum facinorum acerrima poenitentia non expellent id à ſe, quod mortuum oculos poſsit offendere viuentium? Tu igitur, bone Ieſu, quod olim ſordidis procumbens Apoſtolorum pedibus exactiſsima lotione ſignificaſti, munda cor noſtrũ ad tui ſepulturam: ſiue etiam è nihilo peccatorum 2 cor mundum crea in nobis: vt hoc etiam monumentum, omni abſterſa vetuſtate, verè nouum ſit: & in illo nondum quiſquam poſitus dicatur; vbi nullæ appareant reliquiæ mortalitatis. ita enim vtero tantùm virginali prodire infans voluiſti, & mortuus tumulo virgine componi; vt nemo excluderetur à ſpe tui recipiendi, reſarta per poenitentiam integritate, & ſuppleta per virtutum inductionem innocentia. Sed interim, antequam oculos in mortem condat, nouum

Deus

1 Apoc. 1. v. 5. 2 Pſ. 50. v. 12.

Deus condit 1 testamentum: quod quia in mortuis tantùm confirmatur, nec valet dum viuit, qui testatus est, amore terminum vitæ præuertente, sacramentali morte conficitur ad sacrificium incruentum: et quia nefas erat sine sanguine testamentum dedicari: efficacitate 2 sermonis sui penetrabilioris omni gladio ancipiti prodigam facit è suo corpore sanguinis effusionem. Ritè sic omnibus procuratis cor humanum non tam in sepulturam sibi testamento destinat, quam viuens vltrò ingreditur inter mortuos liber, & immissis in bonorum suorum, suique ipsius possessionem nobis, inopiæ, ac morti suæ superstes mortem moritur acerbiorem.

Egreditur scilicet è cœnaculo Christus, & trans torrentem Cedron ad vallem Iosaphat ingreditur in hortum Gethsemani: idest, vt latinè dicam, trans 3 torrentem denigratum, ac tristem nostrorum scelerum, ad vallem 4 iudicis progreditur in hortum pinguissimum 5 olei miserationis diuinæ. locus enimuerò il-le

1 *Hebr. cap. 9. v. 17.* 2 *Hebr. 4. v. 12.* 3 *Tol. in. Io. 18* 4 *S. Hier. ep. 142* 5 *idem de nom. hebraicis*

le 1 iudicio destinatus extremo, vbi reducto sipario venient in omnium conspectum malefacta, suis etiam olim auctoribus ignota; anticipatione opportuna Christo scenam aperiet flagitiorum omnium posteritatis humanæ. & præsertim hortus ille memoriam primi sceleris repræsentabit; cuius cóscius fuit alter hortus: vt ad prudentiæ normam patiendi principium, & in cogitatione peccata sint prima; quæ tamquam finem spectabat illa voluntaria tormentorum tolerantia, & quæ cruci demum erant in opere supremo affigenda. Neque enim solam tormentorum cogitationé acrem adeo fuisse crediderim ad exterrendum Christum, idest fortitudinem Dei, beatorum spirituum lætitiam, spem rerum omnium creatarum: vt ea sola illum in pauorem indueret, in mœrorem, in tædium. Dicite vos membra Christi sanctissima, suscepto tristi oculorum officio luctuosi deflendi, quid illud est, quod lacrimatione sanguinea lamentamini? non certè laniená vestram, vltrò vobis priùs expetitam. Scio equidem ad hostilem aspectum natu-

1 Ioel. cap. 3. V. 2.

naturali quadam commotione sanguinem è venis efferuescere: at quid inimicum Deo; cui 1 omnia videntur bona, ab ipso facta nimirum ad suę bonitatis ideam? nisi id, quod vnicè malum 2, sine Deo factum est. & ideo nihil: quod factum tamen est ad informis malitiæ turpem formam. O cor humanum adamante durius; si 3 purissimi agni sanguine non emollescis: vt cælaturæ patiens ad vsum sepulcri, egregia sepulti Dei facta exprimas commemoratione non inani. vt asperrimum sis, ac indocile: neque te in historiam alieni doloris possit formare commiserationis acutissimum cælum: saltem amans tui cede tandem tuis malis: quorum si obiecta imago acerrima, quemadmodum sigillum rubens mollissimam ceram imprimit, sic eum 4, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit: eorumdem acerba recordatio non imprimet in tuo corde lacrymabilem speciem sui? aut quæ sanguinem elicuit ab innocenti corpore, non exprimet à fontibus oculis

1 *Gen. cap.* 1. 2 *Orig. in Ioan. cap.* 1. 3 *Plin. lib.* 37. *cap.* 4. 4 2. *Cor. cap.* 5. *v.* 21.

culis lacrymas, aquas nimirum ad lapideum cor excauandum vehementes? ita fiet, vt Adæ peccatum hæreditaria transfusione nostrum cordi, iam per lacrymas emollito, faciliùs incidatur: atque adeo, quod huic sepulcro est maximè incidendum, morientis Dei parentis nostri miserabile cruciamentum exsculpatur.

Et sanè quoties parentem nostrum lego, manum extendisse ad scientiæ pomum, & ori suo admouisse: toties venit in mentem opinari, illum voluisse latentem in pomo diuinam sapientiam exosculari, quamquam illud osculum præcepto seuerissimo interdictum, non ego dixerim amicitiæ symbolum, sed expletæ à Iuda turpissimæ proditionis exemplar. Prodita, inquam, tunc fuit ad crucem vili pretio diuina Sapientia: vt, quæ
1 fuerat nominatim violata, illa eadem moriendo suam iniuriam vlcisceretur; & prodita quidem ab eo; cui non minùs, quàm Iudæ sacra pecunia in pauperum alimentum, creditus fuerat cœlestis sapientiæ thesaurus; de quo suis posteris tamquam pauperibus suppeditaret rerum diui-

narum

1 S. Th. 3. p. q. 3. ar. 8.

narum cognitionem. O furaces, & Adæ, & Iudæ manus: si sciendi & habendi dulcedinem gustastis: animũ quæso aduertite, quo vtraque insana fames præcipitet vos. prodidit priùs hic sacram pecuniam; vt gradum sibi faceret ad proditionem Dei, ad vitæ proditionem suæ: perfidus ille, fuit in Sapientiam diuinam violatione præcepti; perfidus in se accersita moriendi necessitate; perfidus in liberos, dilapidato amplissimo patrimonio. Siste dum Iuda infamis proditor. quid in ista ignorantiæ; ac errorum nocte, qua suam posteritatem offudit, scientiæ pomo deuorato, atque adeo ipsa decocta sapientia, primus Pater; laternas accendis, & faces; humanam quasi scientiam ad percognoscendum Deum? an nescis ad lumen solis cœli stellas minores, nedum tædas extingui è terrena materia? an non verè vestra omnis deuorata [1] sapientia est; cum aperiente se libera voce Deo, quasi recluso sole, tenebriones ignauissimi turbati, & moti, sicut ebrij cecidistis in auersum? non miseret me vestri; quos potuisset illa prolapsio re-
uocare

[1] Ps. 106. v. 27.

nocare à malo, quod perpetrastis ad altiorem ruinam excitati: miseret me potiùs Adæ Patris, qui procul à sole, face sublustri terrenæ sapientiæ ductus primùm in tenebrosum latibulum; mox diuinæ proscriptionis voce perculsus, ab altissimo beatæ vitæ statu verè in occipitium ruit; hoc est in hanc miseriarum vallem, non ante visam, quàm tactam; duro postmodum experientiæ magisterio edocendus, in quam præcipitasset malorum asperitatem. Quid superest in tanta obscuritate subsidij, nisi vt palpando prætentetur via? & huc etiam prouecta fuit impudentium vespertilionum temeritas: vt examine tenebrarum, ac manus indicio lucem explorarent.

Ducitur quippe ad Annam Christus, & ad venerabile seniorum concilium. & vos ingenia tenebricosa in doctrinam eius, quæ 1 lux est mundum illuminans, audetis anquirere? agnosco serpentis antiqui veteratoriam calliditatem: hac arte olim decepit Euam, de præcepto interrogatam, & de causa præcepti. vtinam dolos prudenti silentio cauisset illa, aut

1 Eccl. 43. v. 10.

aut ad legitimum iudicem prouocasset: sic enim præceptum in corde suo sanctiùs custodisset, neque mox ante iudicem stetisset rea. Hac vsus prudentia Christus abnuit, reddere rationem sui apud iniquos iudices, causam ore serpentis bilingui, hoc est animo duplici agitantes; quo quid enimvero sit tenebricosius? & in Aegyptiaca 1 ista caligine veritatis radios, tenebrarum crassitudine corrumpendos, diffundat Sol ille, nihil non in publica hominum luce palam eloqui solitus? Eluso tenebrarum examine, insanam excipite, quo decet sensu, militis temeritatem. Extento brachio, exertisque viribus alapam ori imprimit, quod est 2 splendor gloriæ: & lucem manu tentat. nec ad feruentissimæ lucis contactum exarsit illico in cineres manus illa? Desistite mirari: quia voce mansuetissima, qu si afflatu auræ tenuis, illam Christus refrigerauit. Sed tu miles fanaticè didicisses Euæ malo munera sensuum non inuertere. Illa pomi suauitatem explorauit oculorum fide. vidisse nimirum dicitur quòd bonum esset lignum ad vescendum: sed

1 Exo. 10. v. 22. 2 Heb. cap. 1. v. 3.

ſed decepta proh quantam in illo deuorauit ærumnarum amaritiem: & tu quoque qui tactu exploras lucem; in quantas tenebras animæ oculos impuliſti? 1 lumen illud ante oculos populorum expoſitum ad errantium directionem, quia materiatæ concretionis eſt expers, non ſuſtentat homines è peccatorum congerie malè materiatos, illabentes ſibi, ad ruinam ideo poſitum audaciorum.

Hactenus peccauit Eua peccatum, quod non eſſet liberis omnibus mortalitatis decretorium: & cauſa Chriſti quoque acta eſt in concilio, quod conſiliorum quidem facultatem haberet, ſed non haberet mortis extremum arbitrium. Itur ergo ad Caipham eius anni Summum Pontificem, ideſt itur ad humani totius generis caput Adam. apud vtrumque accerſitur in iudicium diuina Sapientia, vtroq; turpiter præuaricante: vt qui eſſe debuerát modeſti veneratores, facti ſint malitioſi Diuinitatis enquiſitores. Et licuit quidem Christo conſtanti ſilentio, diù aut iniquas interrogationes arguere, aut teſtium falſitatem conuincere: donec grandis obteſtatio

1 Luc. 2. v. 32.

testatio per venerandum Dei Patris nomen excitauit pietatem in Patrem, religionem in Deum, amorem veritatis in Christo ad liberam suæ diuinitatis professionem. Verè, quod tibi gratulabaris, iniquissime iudex, nō indiges ampliùs testibus. confirmatam enim habes, tantùm adhibere animū velis, testimonio grauissimo veritatem: sed tu vocem illam vindicem Diuinitatis quasi Deo iniuriosam execratus, scissis vestibus, 1 quod erat Pontifici vetitum, de Pontifice factus es profanus & execrabilis. Nescit ille quidem quid agat: sed 2 quia Pontifex est; vt olim consilium occultum Dei de morte Christi verbo promulgauit: ita nunc facto consilium exequitur Dei, scindere volētis ab Ecclesia Synagogam: & ignarus & inuitus voluntaria cæremonia se abdicat Pontificatu. Quis enimuerò & Patris & sui tam parum amans; quin animo commoueatur, expressam in Caipha recolens Adæ infelicitatem? cum ad sacrilegam in humano pectore Diuinitatis appetentiam ipsa se discidit innocentiæ vestis, qua decorè obtegebatur, apparuitque inhonestè

1 Leuit. 21. v. 10. 2 Io. cap. 18.

neste nudus: & cum hac regia purpura dominatum exuit; quo in animantia cætera illum antea donauerat Deus. Miserum Adam, miseros nos cum parente nostro: 1 qui, cum esset in honore summæ potentiae proximo, sua bona non intellexit; inani credulitate, ac fallacibus ambitionis imaginibus Deus, verè comparatus est iumentis insipientibus; similisque iam illis ab amica voce fugit in latebras; mox ab Angelorum consortio in ferarum senticeta relegandus. O tenebras illas luctuosissimas; in quas à facie Dei abdidit se Adam tamquam in custodiam suo iudicio mortis reus. Quid hic ego commemorem, quantis per illam noctem cruciatibus diuexauerint crudelissimi ludiones habitam in ludo Maiestatem Dei? aut quid commemorem, quantis in illo latibulo torminibus peccati conscientia exagitauerit animum parentis nostri? vnum illud maximè vereor; ne fluctuantis hæc animi tépestas parentem nostrum impellat ad scopulum desperationis. Ne quæso te spem abijcias ò Adam, & habeat hoc suorum dolorum fomentum,

&

1 Ps. 48. v. 21.

& solatium Christus, vt tibi possit ignoscere: exemplum scilicet veniæ desperandæ non à primo parente; sed à Diabolo sui cordis malo habitatore sumpsit Iudas: cuius peccatum illacrymabile neque humano cordi, neque suo sepulcro Christus incisum velit.

Transeamus igitur nos ad aliam suscepti operis partem: quoniam nox etiam illa 1 Phase fuit, idest transitus Domini, à populo Hebræorum ad gentium fidem: cum à sacris Seniorum, ac Pontificum concilijs traductus fuit ad profana Pilati, & Herodis tribunalia Christus, auertentibus à se omnibus infamiam nef rij parricidij. expiare sic ille voluit leuissimas parentum nostrorum excusationes, culpam in se inuicem, ac in alios transferentium. Nimirum quidquid homines peccarunt; tu, Christe, peccasti, grandi sponsione deuictus: & ideo de tam multis obiectis criminibus nullum purgas apud Pilatum iudicem innocentiæ ceteroqui studiosum tuæ. Ecce iam veluti conuictus reus expoliatur à lictoribus, alligatur ad columnam, virgis, loris,

fu-

1 *Exo. cap.* 11. *v.* 12.

1 fuſtibus, ferreis flagris à crudeliſſimis tortoribus tunditur, deglubitur, excarnificatur. ita enim Deus agnum immaculatum tonderi permiſit vſque ad pellis detractionem; vt ea tunica pellicea obtegeret Adæ nuditatem. Fruſtra enim ſua manu inſuit Adam aſpera ficus folia: quia nullus intimus dolor, aut voluntarium vllum ſupplicium operiet multitudinem peccatorum, niſi Chriſti quoq; ſuperinducatur innocentia. Quamquam, diluta innocenti ſanguine terra, nouus è ſincero luto formabitur Adam, 2 ſuo nomini conſentiens ruber, & ſanguineus. Quin & tu quoque tellus peſsimæ execrationis aquilone afflata olim, & omni ſpoliata germinum decore, indue iterum tepenti hoc irrigata ſanguine florum purpuram: vt cum ſpe fructus boni nouus Adam operetur in paradiſo voluptatis. tu tamen ſpinas, & tribulos germinas capiti cultoris tui; vt omne maledictum expietur: & non ſolùm in ſudore, ſed etiam in ſanguine ſui vultus veſcatur pane ſuo, id eſt 3 pane doloris, & lacrymarum.

K Acci-

1 *Salmer. in Eu. tom. 1. tract. 29.* 2 *Hier. de nom. Hebr.* 3 *Pſ. 41. v. 6. Pſ. 79. v. 6.*

Accipio tamen victoriæ omen. ex
1 eodem loco pugnæ coronariam
herbam victori olim dabat victus: &
2 obsidionalis corona texebatur è
gramine decerpto, vnde seruasset a-
liquis obsessos. Non habebas in tuo
solo, inferorum tyranne, aliud her-
bæ genus, præter spinas peccatorum,
quam Christo victus porrigeres. Ne-
que nos, in valle hac obsessi bono-
rum operum sterili, aliud gramen,
quod Seruatori nostro, eius virtute
à longissima obsidione liberati, da-
remus ad obsidionalem coronam.
Radiato isto diademate, ac planè
3 imperatorio coronatus caput chla-
mydatus tui sanguinis purpura meliùs,
quàm purpureo vestimento; vnum
Christe desideras ad regium instru-
mentum sceptrum potestatis insigne.
neque enim leuis arundo illa, & fra-
gilis, quam ad breue tempus gesta-
sti, tui regni sit symbolum, cuius 4
non erit finis: sed tui sanguinis ro-
re vitali fœcundata tellus, aliud pro-
ducet sceptrum solidius, quod num-
quam deijcies; crucem, inquam, heu
quàm

1 *Plin. lib.* 12. *cap.* 4. 2 *Plin. ibid.*
3 *Alex. ab Alex. Gen. dierum lib.* 1. *cap.*
28. 4 *Luc. cap.* 1. *v.* 33.

quàm graue; vt sit 1 futurus principatus tuus super humerum tuum.

Regiè sic instructus, ad ineundam regni possessionem progreditur in montem Christus, 2 montem myrrhæ, & aromatum; 3 super quem constitutus erat Rex à Patre suo. Egredimini & vos filiæ Sion, & videte 4 Regem vestrum: & in illo tristissimo aspectu expressam imaginem intuentes peccantis Adæ parẽtis vestri, atque adeo vestri sceleris; ne super illo, sed super vobis ipsis lacrymis vberioribus flete. Quæcumque enim fiunt circa nos, in arido ligno fiunt, nisi humescat imbre lacrymarum: quæcumque geruntur circa Christum, in illo viridi ligno fiunt, quod nunc gerit pro sceptro: mox illud tamquã viuens surculus in fertilissimam segetem transpositus Caluarię montis, pendentem mirabitur è suis ramis vitæ fructum non suum: & verè tamquam altera vitæ arbor in medio Paradisi, 5 salutem, & vitam operabitur in medio terræ. Ecce ex hoc eodem loco sanguineus

1 *Is. cap. 9. v. 6.* 2 *Cant. cap. 4 v. 6. & cap. 8. v. 14.* 3 *Ps. 2. v. 6. 2.* 4 *Cant. cap. 3. v. 11.* 5 *Ps. 63. v.*

per manuum, pedumque vulnera, deriuatur in quatuor diductus capita fluuius: vt quæcumque cœlestium imbrium inductionibus terra fœcunditatem acceperit, fiat cultore nouo Ada paradisus voluptatis. Egrediamur & nos 1 extra hominem veterem, vel rerum malè hactenus gestarum pœnitentia; vel vehementiori in Deum affectu; 2 & videamus visionem hanc magnã, idest flammis pœnarum, siue etiam scelerum ardentem, illibatam integritatem: & nudis ab omni mortali affectione pedibus cultu religioso proni accedamus ad crucem, 3 qua vita mortem pertulit, & morte vitam protulit. Si sceptrum est: 4 deosculemur summitatem eius; vt mortis rei, signo clementiæ accepto, vitæ meliori restituamur. si vitæ arbor est: 5 ascendamus in palmam, & apprehendamus fructum eius. 6 Exaltatus in illam à terra serpens nouus inuitat nos; vt arbor hæc vitæ, aspera intuentibus, resarciat detrimenti

1 *Ephes. cap. 4. v. 22.* 2 *Exod. 3. v. 3.* 3 *Breu. Rom. in hymn. crucis* 4 *Esth. 5. v. 1, 2.* 5 *Cant. 7. v. 8.* 6 *Io. 3. v. 14.*

menti quidquid attulit antiqui ser-
pentis inuitamento fallaci lignum
scientiæ pulcrum visu, aspectuque
delectabile. Quis scit an dum 1
extremis amicitiæ officijs fungimur,
morienti Deo proximi, inclinato ca-
pite in nos, expiret in faciem no-
stram supremum spiritum suum, no-
uæ spiraculum vitæ: quoniam spira-
culum primum illud morsu noxialis
2 pomi primus Pater suffocauit: ita
3 renouato spiritu mentis nostræ,
viuet in nobis Christus patiens, Adá
nouus. Et certè si cordi nostro vi-
uentem Deum est animus inferre:
non decet illud esse mortuum, 4
& plenum ossibus mortuorum. Spiri-
tu igitur Charitatis duplici anima-
bitur ad immortalitatem, vt sit Dei
5 sepulcrum gloriosum: 6 si, quod
ille reliquit, antequam curru crucis
igneo tolleretur à nobis, suæ diui-
nitatis, & humanitatis pallium, idest
sui corporis venerabile sacramentum,
reuerenter habeamus in cordibus; in
quibus malefactorum acerba comme-

1 *Alex. ab Alex. Gen. dierum lib.* 3. *cap.* 7. 2 *Breu. Rom. in hymno crucis* 3 *Ephe.* 4. *v.* 28. 4 *Matt.* 25. *v.* 27. 5 *Is.* 11. *v.* 10. 6 *Reg.* 4. *cap.* 2.

moratio tristissimam insculpserit historiam, sub imagine peccati, patientis Dei.


 



Paulus 1. ad Cor. cap. 15. ex Gen. cap. 2. & 3.

Factus est primus homo Adam in animam viuentem: nouissimus Adam in spiritum viuificantem.
Primus homo de terra terrenus: secundus homo de cœlo cœlestis.
Igitur sicut portauimus imaginem terreni: portemus & imaginem cœlestis.





SS. MARTYRIBVS EVSRATIO, ET SOCIIS

Encomium ad ipsorum Busta, in S. Apollinaris Coll. Germanici, & Hungarici.

QVem olim grauis antiquitas sequutæ deinde quoque suffragio posteritatis, amori singulariter titulum apposuerat; vt humanis erectis ingenijs ad mirabilem rerum nouarũ excogitationem, diceretur ingeniosus: illa N.N. mortalium generis lues,

nec ipſum ſibi ſatis amicum odium, inuidiæ crediderim hortatu indiuiduæ pediſſequæ, rapere aliquando ad ſe impio conatu, irrito quamuis euentu, machinatum eſt. Summo enim cœli, terræque totius Imperatore vel ad ſui natalis diei pompam præoccupandam, vel feliciter inchoándam, ſpectaculum exhibente, deſcendiſſe mihi videntur in arenam ad digladiandum illi potius omnem mortalium oculorum aciem prætervecti palæſtritæ incorporei amor, & odium: quàm illi, quos humanus ſpectauit oculus, athletæ fortiſsimi, ex vna parte cum ſocijs Eugenio, Mardario, Auxentio, Oreſte, Euſtratius de cœleſti familia: ex altera parte cum ſatellitibus ſuis de grege tartarei prædonis Agricolaüs, & Lyſias Tyrannorum immanium miniſtri crudeliores. Et profecto quando ſpectatorum genus duplex huic ſpectaculo circumfundebatur: quemadmodum de virtute, ac victoria Euſtratij, ſociorumque humanum expectabatur iudicium: ita par erat; vt altera, & potior populi pars beatæ mentes terrenæ concretionis expertes haberent aliquid, quo ſe in eo theatro ſingulariter oblectarent. Verùm

rùm quia ſua ſatis munificentia dignum non exiſtimauit ſupremus ille rerum dominus, ſi vnum daret gladiatorum par, ad natalitios cohoneſtandos ludos : collàta ſunt etiam inter ſe veluti duorum illorum principum capitum ſectatores; cum audacia fortitudo, cum ſuperſtitione religio, manſuetudó cum crudelitate, prudentia cœleſtis cum aſtutia, cum peruicacia conſtantia; omnis dènique virtutum familia cum vitijs omnibus; quæ tamquam athletas ſuos è ludo ſubmiſit tartareus prædo: ſeu potiùs eduxit è cauea obſcuriſsima belluas immanes cum hominibus humaniſſimis more planè barbarorum tyrannico conflicturas.

At verò primæ proluſiones præiudicium fecerunt de victoria. ita enim confuſè omnia, nullis ſeruatis legibus ex vna gerebantur parte; vt clarè viderentur illi alienas res ire raptum depopulantiùm more; de victoria tunc triumphantium, cum ſe opponit nemo, quem vincant: alij contra tanto depugnare cum ordine; vt regij ſpeciem referrent exercitus iùſto bellò res repetétis ſuas; certi de felicitate euentus, cum primùm in hoſtium conſpectùm deuenerit

 nerit

nerit. Proludebat ad crudelitatem suam acerrimum Lysiæ odium: cum virum fortissimum Eustratium laena, zonaque dispoliatum, validissimè vinctum funibus, nudum prosterni iubebat ad terram, dolosè, vt semel dicam, non ampliùs ingeniosè, de victoria desperans; si cum soluto, & stante legitimo sibi certamine depugnandum esset. Sed affligi non poterat, qui ardebat in eius pectore, diuinus amor, ex ignis natura semper ad coelum erectus, tuæ, immanis Tyrranne, vel crudelis astutiæ irrisor, vel astutæ contemptor crudelitatis. Suppeditatur, si nescis, Eustratio vires fortasse à terra; quam suorum non immemor natalium pro matre semper agnouit. Infelici ergo, tyrannus exclamat, arbori suspendatur, vt in eo, quem ducit spiritum, expiret: admotisque ad pectus ignibus, ijs, quos non adorat Deos, gratissima victima immoletur. O ferax malorum ingenium! ijs ad penas abuti; ex quibus constamus: quæ natura concessit extra nos, vel ad solatium, vel cum interiora defecerint ad resarciendi necessitatem. Melius, & ad Eustratij triumphum conueniétiùs dicam Aud: ò ferax bonorum amor


amor, ò prouidum amoris ingenium!! pœnarum instrumenta conuertit in subsidium humilitatis ad gloriam altissimè positam pertingendam, ex ijs enim infra cœli ambitum demissis elementis, quæ, fortiter eorum] impetum sustinendo, martyr superat, fecit illi gradus diuinus amor; per quos ad supremum huius mundanæ fabricæ fastigium, in cœlum beatorum spirituum sedem ascenderet: in quam quia nihil ingreditur non ab omni terrena caligine purum: ille idem ignis omnem dissipauit nebulam; vt à mortali labe defæcatus ipsius animus, liberiori aspectu intueretur in patriam suam. Quàm purè deinde, quàm luceret clarè; vidit ille postea Mardarius: qui beatissimum virum in medio militum coetu tanto circumfusum conspicatus est lumine: vt stellæ conferendum iudicarit; cum illa nullis obsessa nubibus sui pompam mortalibus explicat amplissimam. Vidit etiam fortasse id, & inuidit acerrimum tyranni odium; voluitque medicinam facere vulneribus; per quæ, tamquam per fenestras vi verberum apertas, animæ lumen circumfusæ apparebat multitudini; & ipsius tamquam noctuæ oculos per-

ſtringebat. Quàm, Deus bonè, odium ſibi ſemper ſimile ad malum, in peruertendâ quoque medicina dici voluit ingenioſum! Muriam aceto immixtam vulneribus iubet infundi: vt amori ſe contrarium omnino profiteretur; qui puriſsimi olei lenitatem, optimique vini acrimoniam Samaritanum ciuem, vt eſt in ſacris parabolis, adhibere docuerat ad eius viri vulnera; quem ipſius amoris hortatu curandum ille ſuſceperat. Vim interea amoris ingenioſam admirammi, omnia conuertentis in bonum. quam adiunxerat doloribus Martyris appẽdicem Lyſiæ odium, amor ea vſus eſt pro medicina: ne ipſe amor nocere videretur corpori, qui iam animum ab omni liberarat ægritudine: & ſanum eſſet ſanæ mentis domicilium. Ita cum die certamen confectum eſt, de quo victor euaſit Euſtratius, publica præconis voce proclamatus ab Eugenio; qui, cum ex oculis adſtantium omnium ſuffragia collegiſſet, crudelitatem Tyranni ſilentium alijs indicentem nihil reueritus, ſe cum Euſtratio facere, quem victorem iudicabat, ſanctiſsimè, fortiſsimèque profeſſus eſt. Victus indè Tyrannus cum dedecore diſceſsit,

poſtero

postero die aleam rursus tentaturus; Eugeniumque socium certaminis adiunxit Eustratio: amens, qui non vidit habere illum victoriæ prærogatiuam; qui coram ipso liberè victoriam aduersarij vociferatus esset.

Illucescente igitur die, indicto Nicopolim itinere, renuens eodem loco confligere, vbi populus tantæ plaudens Martyris fortitudini præiudicium fecerat de victoria, armatus odio pectus, & crudelitate, iubet Eustratio pedes ferro, clauisque longioribus armari: vt quà pondere, quà vulneribus retentus, videri victus posset; quòd iter in locum certamini dictum non prosequeretur: sed frustra. quia illa vis ardens amoris, tam leui pondere retardari non poterat, quamuis fortasse fuit illud ipsum ingeniosissimum amoris artificium velocitatem suam reprimere volentis: ne, non expectato aduersario, dum præcurrit in arenam ad victoriam, fugam alicui capessere videretur. Antecesserunt tamen interim victoriam socij alij siue Tyranni dolo priorum supplicio fortitudinem deterrere molientis subsequentium: siue diuini amoris consilio; ne subito consulens meritis, plura vni capiti videretur opposuisse



posuisse. Auxentium summum sacrorum apud Eustratij ciues antistitem in desertam, asperamque siluam productum ferro iubet obtruncari: quo ille fortiter recepto, benè docuit moriendo Christianos vincere. Neq; tamen ipsa mors amoris, & odij certamen diremit. in cadauer quoque sæuitia est irreligiosè adhibita, denegata sepultura. at eo; carere honore non est passus amor athletam suû: cuius vt nulla pars humo non conderetur, ingenium stolidissimæ volucri elargitus est; vt eius cantu pateret; quibus frondibus non ex cæremonijs humaretur caput diu conquisitum; vel veriùs abditum ad iustam humationem negaretur.

Auxentij certamen excepit Mardarius, non alijs munitus armis, quàm breui quidem, si verba numeres; si vim examines; grauissima Christianæ religionis professione. Hunc perforatis terebra calcibus, illigatum funibus ad currum, longo traxit itinere: vt ingeniosè, & ad antiquitatis notitiam aptè crudelitatis Achilles, more triumpharet achillæo. An tu, mortalium infelicissime, victor: quem tuæ crudelitatis excruciat conscientia, rabidè furens, quòd rudis viri, simplicisque


plicisque verbis duobus acriter pungereris? an ille potiùs de te triumphat, cuius animus redux in patriam, tuam ridendo, sustinendoque fortiter ostentat, & exprobrat crudelitatem? Eugenium, certamen subeuntem post Mardarium quia perdendo iam est de aduersariorum virtute doctus, manibus diminuit; ne arma possit mouere: immo & verberibus tibias infringit; ne ipsum se dimouere possit. Verbis quoque debellare, vt in Mardario vidimus, amor nouit. tolle igitur, lingua praecisa, haec etiam ab Eugenio arma, si potes. pro vna eius lingua linguam Orestis armabit amor; quae certiùs tuum pectus feriat: quam antea manus iaculo destinatum scopum vel cum tua laude attingebat: armabit omnium, quotquot adsunt, militum linguas; quae grandi, sed non incondito clamore de tuo te, tuumq; odium deijcient tribunali. Et deiecerunt: quando dare victas manus coactus, ad Agricolai adhuc integrum odium, transmissis diuini amoris athletis, ad illius nequidquam subsidium perfugisti. Quid enim, qui iam in duobus theatris suam probauit virtutem, habeat in tertio populi misericor-
diam

diam exorare? aut Orestes, qui nunc primùm in arenam venit, ad primas timeat congressiones? aut vterque, sociorum exemplis ad palmam incitati, in vltimo illam certamine proijciant? alia debuit omnia de Martyrum virtute tyrannus suspicari; & secus cecidit alea, quàm credidit.

Confligitur ergo in vrbe Sebastenorum, in tertio theatro tertio die: odiumque Agricolai doctum videri voluit, vt se probaret ingeniosum. Ad doctrinam igitur veterum suæ sectæ philosophorum prouocat; quorum sententijs Christianam religionem iugulatam censuit: suo sed telo confoditur: factusque cum sit Eustratius ex forti athleta benè sentiendi magister; neque cum humana philosophia suam stare superstitioné Agricolaüs inuitus intellexit. Quid faciat? tentet ne ipse quoque suis amorem telis iugulare? lacrymas, quibus quid est in amore fortius? vt est ad omnem simulationem natus, aduocet, oret, deprecetur? in summa se virtutis Eustratij profiteatur amatorem? Quid ille? in sustinendis supplicijs humana maior conditione, primò visis lacrimis, turpiter degeneret in fœminam? Non ita, facilè

facilè à simulato amore verus amor decipitur; nouitque longa experientia fallaces inter lacrimas, ac veridicas dijudicare. Iam iterum sua resumat odium arma, in alienis detectum; vt in suis armis vincatur.

Astutè iubet Agricolaüs, in lectum Orestem deponi, vt dormientem occupet, si possit: sed lectum sterni iubet, sua duritie suadente, ferreum; quod igne, qui solet omnia emollire, fecit durius. At verò mollissimè cubat ille, cuius capiti dexteram supponit Deus: nec mortalis ignis sentit ardores; qui maiores inter ignes viuit, inter ignes diuini amoris. Eustratium omnium postremum, vt ille certamen absolueret; à quo sumpserat initium, in fornacem ardentem immitti iubet: nec vllos ille tamen sentit æstus, qui suspirijs amoris anhelantis ad coelum, ventulum in media fornace sibi faciebat gratissimum. Ita de crudelissimo Tyrannorum odio in suis athletis triumphauit amor. neque diuinum amorem, qui ignis est, decebat aliter, quàm in igne, atque adeo de ipso igne triumphare.



De Laudibus

S. PHILIPPI NERII

Ad Patres Congregationis Oratorij ab ipso fundatæ,

ORATIO HABITA

A TIBERIO AVILA ROMANO.



Vod oratores omnes initio dicendi profiteri solent superbè nimis interdum, & inuerecundè; argumentum se nactos ita fœcundum, & amplum; vt de suæ orationis

rationis exitu reperiendo multa sit illis necessaria cogitatio; in deligendis ijs, quæ ex tanta rerum segete videantur potiora, plurimæ sint positæ difficultates; spiritum, tempus, eloquentiam tantis rebus defuturam sibi suspicentur: hoc ego de Sancti Philippi Nerij laudibus hodie dicturus, in hac amplitudine loci, summorum hominum illustrata panegyri, locupletata testimonio egregiorum operum, profiteri, me posse sine certo fallendi periculo non sperabam. Dubitabam quippè (Patres Venerandi) ne de veteri, ac peruulgato dicturus argumento, aut satietatem non fugerem; si earum rerum vellem laudando memoriam replicare; quæ sæpè aliàs ex hoc eodem loco fuerunt in annuis Philippi ferijs commendata: aut ea sanè solùm reliqua essent orationi meæ; quæ in homine vulgari vix vllum possent præconium commereri; vt singularem aliquam de tanto viro imbiberemus animo existimationem, facere nullo modo possent. Sed enimuerò vix in interiorem causam commẽtando sum ingressus: cum minimè decere intellexi, me de Beato Philippo dicere aggredientem, in eam venire dubi-
tationem

tationem ; quin oratorum aliquando facundiæ nobilia facinora sint ad laudandum defectura : cum longissimum vitæ cursum ad annum octogesimum in perpetuis actum laboribus, nullo vnquam otio interruptum, tam egregia facinora complere potuisse, videatur admirandum ; & mortalis naturæ vires longo superasse interuallo. Aliorum sanè felicitatis est, oratores nancisci disertos, suarum laudum præcones ne dicam, an potiùs amplificatores? tuæ sit virtutis Neri Beate, reddidisse nunc eloquentem infantiam ; & hominis infacundi linguam in tuas laudes explicasse cum facundiæ laudatione. Debeant alij literatorum virorum monumentis ; quòd eorum fama toto orbe cum celebritate frequentetur : debeant tibi oratores tui ; quòd ita sæpè tanta cum beneuolentiæ, ac humanitatis significatione, studio singulari audiantur in panegyri hominũ Illustrissimorum. Conquerantur alij initio dicendi, exordium satis aptum se reperire non posse, non tam ex veritate sæpè, quàm per inanem vbertatis ostentationem, ac pompam: gratuler ego meæ felicitati, admirentur omnes virtutem tuam ; quòd
in

in tuis laudibus multi sortiantur exordia & varietate dissimilia, & multitudine infinita, & grauitate materiæ admirabilia: exitum reperiat nemo; nisi quem temporis fecerunt angustiæ ex hoc eodem loco fortuitù, non sine eorum omnium, qui audiunt, beneuolentissima conquestione. Timeant in orationis suæ vestibulo; reuereantur Auditorum præsentiam; beneuolentiam sibi aucupentur; gratam exposcant audientiam alij; qui suæ diffidant infantiæ; qui digna vestra grauitate non exponant in medium; qui homines laudatione prosequantur latentes, ignotos, sibi solùm viuentes, de nemine vspiam benemeritos; quorum oratio versetur in rebus communibus, & à vulgari viuendi ratione non multùm dissimilibus: ego verò in tanto rerum numero, in argumenti granditate inaudita, in exponendis factis, quæ habita semper sunt nouitate admirabilia, communi omnium opinione summa, vtilitate in reliquos omnes maximè spectabilia, in hac hominum corona, non vulgariter de eo viro sentientium; quem & præterea suæ cognoscant salutis autorem, & parentem; cui Christianam

vni-

vniuersam Rempublicam debere plurimùm fateantur omnes; vestram præsentiam uereri debeo, extimescere non possum: meam hominis infacundi eloquentiam si parem oneri futuram sperem, video sanè, quàm sit id hominis confidentis, & superbi; quin ad aures vestras grata semper accidat non suo, sed eius, quem laudat, viri nomine, si dubitem; turpe mihi sit, ac ignominiosum; vobis omnibus, qui adestis, quique in eò viro exornando nullum vmquam officium superuacaneum existimastis, iniuriosum. Verùm, vt suis hæc oratio limitibus includatur, quæ ita vagatur incerta; & suis determinemus finibus eam virtutem, si tamen possimus, quæ cœlo definita est: duo præter alia in Beato Philippo laudari digna censeo in præsentia. arctissimam cum supremo illo rerum omnium procreatore coniunctionem, immo admirabilem cum ipsa diuinitate similitudinem: alterum, deriuatas inde in humanum genus vniuersum vberrimas vtilitates; ne vana fuisse videatur, ac inanis ea cum beneficentissimo numine consuetudo. Quæ duo quia qui expleruut cumulatè, omnia sunt exequuti diui-

næ

næ, humanæque charitatis officia: ideò ea præcipuè quæri animaduerti vel ipso diuinæ ductu sapientiæ à dicendi magistris in ijs viris; quos vti sua merita superorum agminibus intulerunt ante, & in perpetuam, familiaremque cum Deo amicitiam coniunxerunt: ita eorum grata mortalium beneuolentia memoriam intermori numquam patiatur; & sacrorum addita celebritate consecret altaribus Pontificum authoritas cum populorum expectatione consentiens.

Repetite quæso mecū Aud: memoria prima illa tempora, post exactam pubertatem, adolescentiæ beati viri; cum ad nobilissimum, opinor, exemplum illius magni Hebræorum parentis Abrahami, digressus è patria, in hanc se vrbem contulit, nullis euocantibus consanguineis, & agnatis, non pecuniæ ductus cupiditate, non tamquam ad humanæ sapientiæ domicilium, non in amplissimo theatro aucupaturus honores, non, quæ multos inuitauit, vt vrbis magnificentiam admiraretur, moles ædificiorum insanas, ciuitatis nobilitatem, populi multitudinem, aduenarum concursum, splendorem principum virorum, antiqui Romanorum impe-

rij

rij, & oculis aſpiceret, & animo ſuſpiceret penè obruta monumenta, veluti non benè defoſſi membra cadaueris imaniſſimi. nimirum vt ſibi liberiùs, & vni vacaret Deo, ſuorum conuictu optatiſſimo ſe priuauit ipſe; ſpem deſeruit exploratam ſatis opulenti patrimonij, in quam illum impulerat ſenex patruus, iam ipſa canitie mortis candidatus; voluptatibus remiſit omnibus nuncium, quibus in domo non luxurioſa quidem, ſed abundanti circumfluebat; bona patris ipſa, quæ iure pertinebant hæreditario ad ſeſe, repudiauit conſtantiſſimè; amicitiarum communi iucunditate, cognationum, affinitatum charitate, paternæ domus commoditate, fortunarum ſuarum fructu, patriæ ſenſu, ipſa paterni vi amoris deuicta, & ſuperata: Exiſtimabat enimuerò ille ea omnia impedimenta ad eam, quam tunc animo meditabatur, cum diuino numine familiariſſimam congreſſionem. quare in ea ſibi potiùs vrbe viuendum cenſuit; vbi quæ obijcerentur oculis omnia Deum referrent: viæ martyrum ſanguine reſperſæ; ipſæ cloacæ ſanctorum virorum conſecratæ corporibus; templa non magis artificioſa deſcri-

deſcriptióne magnifica, molis magnitudine ſumptuoſa, ornamentorum additamentis elegantia, operis conſtructione ſolida, & immortalia: quàm religioſa ſanctorum virorum monumentis, animata miraculis, augusta egregiorum factorum memoria, diuinorum beneficiorum liberali exornata largitione. in ea vrbe ſibi omnia exiſtimauit ad cœleſtem congreſſionem expeditiora: vbi vel id pulueris, quod pede proteritur, ſit commiſtum cineribus martyrum, hoſpitia, quæ ingrederis, maiorum exemplis veneranda; cauernæ, ſpecus aucti cœleſtium vitorum ſepulcretis; in vrbe virtutum domicilio, diuíni cultus magiſtra, ſupernæ mentis interprete, ſanctimoniæ ſacrario, integritatis diuerſorio, ſuperni numinis afflatu beneuolentiori, tacitoque beatorum ſenſu animorum locupletata liberaliùs; in qua nihil non pium viſeretur, nihil non ſanctum, nihil non ſummè religioſum, & diuinum. Hìc ille in eas ædes recedere frequentiſſimè; quas vel diuturna ſanctorum hominum, dum eſſent in terris, habitatio inaugurauit; vel quas in cœlum ij poſtea euocati, quod ſecum è terra contractum, terræ de

bitum, efferre non poterant, voluerunt esse corporis domicilium; quas pictæ tabellæ indicabant fuisse mortalibus portum suarum calamitatum, Deique locupletissimum ærarium, vndè homines congiarium acciperent amplissimum; quas pia populorum celebritas, è longinquis accersita regionibus, fecit religiosiores; & deuota principum virorum auxit munificentia; & ea, quæ summa est in terris Diuinæ Maiestatis authoritas vicaria, liberali pœnarum impertita remissione, coli voluit à viuentibus; iis ipsis animabus, quæ laxioribus detentæ carceribus, flammis absumunt quod è mortali labe contraxerunt, voluit esse beneficas: in ea demum templa se penitùs abdere; quæ pietate multitudinis expressa diuina benignitas, & crebra visitatione, & gratiarum elargitione segregasset à vulgaribus templis. Vtque in quàm longissimum tempus extracto cum Deo sermone frueretur: in ea delubra ille recedere libentiùs; quæ ab omni vrbano strepitu viderentur magis remota; ibique, omni abiecta penitùs mollitie, triduum ipsum solidum, & integrum sibi ab omni cibo temperare; eo satis vno recreatus

tus

tus verbo; quod ex ore procedens diuino, vitam è purissimo spiritu secum deriuat in mortales omnes honestissimam. in ijs templis noctes insomnis perpetes vigilare; siue, vt veriùs dicam, sensibus ab omni re mortali auocatis, dormire iucundiùs: interim agente corde vigilias; habitaque cum eo familiarissima collocutione; qui, se dormire, & cor suum euigilare, in sacro exclamabat epithalamio. in cauernas altissimas, Christianorum olim ex iniqua tyrannorũ crudelitate profugientium non domicilium dicam, sed sepulcrum viuentium, abdere sese creberrimè: quia nimirum didicerat à Gregorio sanctissimo Christianæ religionis doctore, Deum altum esse, & eo se longiùs à nobis extollere; quo ad illum nostræ superbia meditationis propiùs audeamus accedere: eo familiariùs ad nos illum sese dimittere, qui & in altis habitat, & humilia respicit in Cœlo, & in terra; quo nos ipsi demittamus humiliùs. in tenebricosa terrarum gurgustia; quæ nonnihil etiam viderentur ab ipsis tenebris accersere maiestatis, penetrare interiùs: vt eum aliquando tandem reperiret, quem animæ dilectum suæ per vias,

& vicos ciuitatis, per vrbis plateas, intra muros, extra pomærium; ab omnibus obuijs, ab amicis, à filiabus Sion, ab ipsis portarum custodibus, & excubijs, cum lacrymis, cum diligenti cura, cum significatione amoris non vulgari, deprecationibus additis, & obsecrationibus, præmiorum adiuncta promissione, faciei descripta pulcherrimè symmetria, designato colore, multis expositis argumentis, inani diù conquisierat labore: de quo meminerat, aliquando se legisse in sacris paginis, illum, cum sese voluerit abscondere, in tenebris gratissimum sibi ædificasse latibulum. in ijs etiam ipse locis delitescere libentiùs; quæ animaduertebat martyrum tumulis distincta frequentiùs; quia in sacris frequenter legerat historijs; & suo quoque bono fortasse fuerat expertus, animas beatas iam in cœlum receptas, naturali vi quadam amoris ad corpus suum in ijs locis apud nos se maximè beneficas exhibere solitas aduersùs mortales; in quibus ipsorum adseruantur exuuiæ; iterum induendæ, cœloque inducendæ cum gloria ad amplissimú triumphi ornamentum. in obscuris illis ca-

uernarum recessibus diuturna verberatione membra omnia vulnerare, & cruore totum corpus, terramque adiacentem omnem conspergere: non tam vt ea laceratione corporis voluntaria nocuo sanguini, cuiusmodi nullus in ipsius venis residebat, aditus omnis aperiretur: quàm quòd crederet, sanguinem ad supremum clamare numen valentiùs, eiusque vociferationem ad aures Dei pertinere velociùs, & exaudiri facillimè. nam & sanguinem iusti Abelis effusum fratris inuidia contra illius eiusdem crudelitatem è cœlo diuinam iustitiam ad criminis inquisitionem vocasse, & longè posteris pauendam extorsisse sceleris vindictam, recordabatur aliquando. Et sanè sanguis innocens beati viri, ad optimi parentis prouocandam benignitatem, non minus habuit vocis, & virium; quàm alter Abelis iusti ad summi vindicis excitandam iracundiam. Quoties antegressus lucifer solem, quem è cœlo cum Deo colloquentem esset conspicatus; idem hesperus diem subsequutus, numquam interrupto sermone, in eadem familiarissima congressione despiciebat occupatum. quem horas quadraginta in eam congres-
 sionem

ſionem coniungentem, neque noua luce interpellabat antelucanus; neque vmbris deterrebat veſpertinus. dedignatus etiam, opinor, quòd neque, cum ſolem orbi terrarum induceret, poſſet illum ab ea liquidiſsima quiete reuocare: neque, cum tenebris obſcuraret omnia, poſſet virum, vt ad ſomnum ſeſe reciperet, inuitare. Tantis colliqueſcebat vberrimæ voluptatis gaudijs; vt animi tenuitatem ſubſequutum corpus neque ſoporis indigeret, neque cibi. Quoties, vel ſanguinis precibus; vel rogatu martyrum, ante quorum ſepulcra cum exoraret Deum, & eorum exemplo accendebatur magis ad amorem, & eoſdem ſuæ voluntatis habebat internuncios, & in deprecando Deo adiutores; amantiſsimi numinis incitata beneuolentia largè adeo, ac liberaliter ſuæ torrentem voluptatis illi propinabat: vt ebrius factus ab vbertate domus Dei, & extra libertatem humani iudicij poſitus, cogeretur excutere, quem tot imprecationibus è cœlo euocarat Deum; profeſſus tantæ dulcedinis, è diuina decerptæ iucunditatis aura, quamdiu viuat in hac mortalitate, capaces non eſſe humani pectoris anguſtias. Quoniam

igitur

igitur; inter tantos diuini amoris æstus, nemo viuere mortalium poteſt; neque ſatis videbatur conueniens, vitæ dominum vitalem auram in res creatas omnes inſpirantem, mortale pectus ingreſſum, ſecum afferre moriendi neceſsitatem: nouo planè amoris miraculo faciendum fuit; vt is, qui non iam amplius vitam degebat humanam, neque communi viueret naturæ mortalis conditione. Viuebat ſanè Philippus inter mortales mortalis, Auditores, ita tamen, vt non ſolùm illud gloriosè, ac magnificè prædicare de ſe cum Apoſtolo Paulo, poſſet; conuerſatio noſtra in cœlis eſt: ſed, quod eſt amplius, de ſua vita gloriari; legibus iam illam ſolutam omnis eſſe humanitatis, ijs vtentem conditionibus; quibus, poſt hunc mortalem curſum peractum, in ſupremo Dei domicilio vtuntur alij, beatiſsimis cœli mentibus à corporea ſecretis concretione ſimillimam. In decrepita ſenectute; cum videlicet frigeſcit ſanguis; vires deficiunt, & imbecillum hoc mortale corpus de ſepultura cogitabundum, oculos, & caput inclinat in terram, qua recondendum eſt; immo animus ipſe, licet immortalis, ſenij videtur ſentire malignita-

tem: in ætate, quæ, si anteactorum memoriam refricare, delectatur identidem, minimo etiam eius facultatis pollet acumine; si longa rerum experientia est prudens; parum etiam potest intelligendo, & cogitando; à qua vti aliqui tenerrimi sensus voluptatis alieni non sunt; ita illa vehementioribus animi motibus concitari non solet: in ætate imbecilla, & languida, vt plurimùm inerti, ignauia sæpè laborante, oppressa somno, laboris fugiente, & quòd sibi commerita videatur mortalium stipendij vacationem, otij amantissima: homo, inquam, diuturnis, grauissimisque conflictatus morbis, voluntaria sui corporis laceratione maximè imbecillus, assidua victus tenuitate maximè debilitatus, tantum, inquam, homo penè octogenarius virium habebat, vt, si quando reciperet se de Deo, rebusque cœlestibus contemplaturus, & ipse toto corpore contremisceret, & quibus niteretur, fulcimenta, & lectum, si quando iaceret, & cubiculum ipsum secum eo tremore percelleret. Porrò humanarum virium facultatem semper illud existimatum est excedere, quòd inter sacrificandum, cum augustissimum

Christi

Christi corpus; exiguo panis inuolucro contectum, circumfusæ multitudini adorandum de more erigebat supra caput; ipse quoque benè vegetus, & exsiliens in pedum digitos, erigebat se, qui aderant, omnibus admirantibus, & non nihil etiam illi timentibus: adeò vt etiam accurrerit aliquando non nemo; vel vt auxilium casuro ferret; vel vt rem admirabilem oculis propiùs conspicaretur. Intelligendi facultate vtebatur tam acri; vt, cum cogitationem in supremum numen defixisset, vel in eas res; quæ ad animum verè pertinent; totus ea meditatione detentus, numqnam fessus, fatigatus numquam, horas plurimas, dies integros, noctes etiam insomnis ab omni alia re penitus euocatus, in vnam eam contemplationem animum intenderet; nihil videret eorum, quæ ponerentur ante oculos; magnis excitatus clamoribus audiret nihil: donec vel Deo suis illum redonante, vel sua ipsius voluntate de acerrima cogitatione remitteret aliquantum; & alijs negotijs, quæ ad ipsius viderentur curam pertinere, sese, animumque denuo permitteret. Quid hic ego dicam Aud: quàm vehementi sensu amoris inflam-

maretur in Deum, cuius flagrantissimas impressiones corpus ipsum sentiret? De media hyeme, nocte intempesta, cum solis recessu ingrauescit frigus, post diuturnas morbi conflictationes; quando is nimirum, qui nobis est datus à natura calor, est maximè debilitatus; quamuis cibi esset tam exigui, vt vix eo labentis vires corporis reficere posse crederetur: nihilo minùs ille, dum alij vestimentis, veluti armis accinguntur aduersùs hyemem; vel igne repellunt corpus obsidentem, fenestras, ianuas, aditus omnes ad auras excipiendas recludi iubebat; stragulorum, quibus cooperiebatur, cōmotione ventulum sibi fieri, imperabat. tanto diuini amoris æstu senile pectus illud, vel in summis frigoribus efferuescebat. Hostia incruenta, idest ipso Dei filio facturus Deo, dum sacras corpori vestes obduceret, contra quàm solent alij; qui vt de amplissimo beneficio Deo non videantur ingrati, multis incitamentis voluntati stimulos addunt, atque adeo ipsi vim faciunt; vt id vnum, quod beneficentissimum numen possit à mortalibus expetere grati animi ergo, amorem pro beneficio reddant: ille vim vltrò se inferentis,

rentis amoris excutere; omnem de Deo cogitationem abijcere; mentem aliò conuertere, voluntatem ipsam, quanta vi poterat maxima, cum non parua etiam corporis contentione, à tam vehementi sensu pietatis aliò deflectere. Sciebat enim, expertus non semel, si liberum voluntatis aditum validissimæ affectioni patefaceret, fore, vt ita illum traheret ad se, & sacrificio finem imponere non permitteretur. Sed neque tanta animi, corporisque luctatione reprimebat penitus. inde ille ardor ex oculis emicabat; inde illa clarissima in vultu flagrantia; inde vberes illæ lacrymæ interioris indices dulcedinis; inde postremò illa cordis assidua micatio, capitis quædam cum grauitate mobilitas, manuum tremor, totius corporis vehementissima concussio. O amoris vim in mortali corpore inauditam; ò incredibilem in sene vehementiam affectionis; Dicite, oro vos per vestram fidem, ecquod vitæ beatæ genus agitari creditis à spiritibus illis purissimis, æterno suo conditori & similitudine, & beatitate proximis? quas absolutæ felicitatis partes opperimur, quicumque absolutissimæ spe cum Deo felicitatis tenemur; quas inter

mortales mortalis desideraret Philippus? Cogitatio de Deo nullis vmquam interrupta illi fuit negotijs: in qua neque ingrauescentis ætatis vlla sentiebat incommoda; neque morborum assiduas conquerebatur vicissitudines; neque longissima defatigabatur meditatione, aut nouis contemplandi deficientibus argumentis, aut alienis rebus, vt assolet, sese per vim in ipsius mentem intrudentibus. in qua non solùm caduci corporis grauitate non deprimebatur animus; sed & ipsum, quasi hominem iam beatum, Deoque simillimum non deceret ampliùs in hac inferiori mundi parte hospitari, velut in alieno solo, leuitatem animi sequutum, erectum è terra euolabat in coelum. Amorem verò aduersùs Deum, in quo summa est felicitatis, vix in ijs ipsis cœli spiritibus, qui ab amando sibi nomen inuenerunt, cogitare possumus ardentiorem. Quamquam hoc etiam habuit ampliùs in amore Philippus: quòd numquã beatissimæ illæ mentes tanto amoris impetu concitantur, vt ferre non possint: Philipppus tam acri amoris impressione concuteretur; vt eum ipsum, quem tam amabat ardenter, deprecari cogeretur, si se
vellet

vellet viuere, vt amoris flagrantiam temperaret; aut vires illi concederet humanitate maiores. Huius est, opinor, loci; quod Physicorum nobilissimi sua sæpè arte decepti; quæ metitur omnia ex humanis viribus, sæpiùs tamen affirmabant: Philippo dissilientibus duabus ad sinistram partem costis, & in arcum flexis, palpitante vltra suum solemne identidem corde; inter tantos ardores, exhausta præsertim aqua, quæ ad calorem temperandum cordi circumfunditur, in assidua rerum cœlestium contemplatione, vitam illi esse non posse diuturnam. Sed si fortis in eo viro fuit ad mortem Dei charitas; neque solùm aquæ multæ non potuerunt eius flagrantiam extinguere; sed potius ipsæ circa cor aquæ illo igne sunt exsiccatæ: debuit & diuinus in Philippum amor tantum habere aduersùs mortem fortitudinis; vt illam contra omnes mortalis naturæ leges de sua sede, cum libuerit, depelleret. Quamquam non illi obsequutus, vitam illius produxit Deus. at vestro Conuentui, Patres, Romanæ huic vrbi sibi semper carissimæ, reipublicæ Christianæ vniuersæ, omnium bono, vt longiùs commoraretur in-

ter

ter nos, diuina benignitas condonauit. Venit in mentem hoc loco eius Tabithæ; cuius funeri circumfusi, vt est in sacris historijs, homines ij, quos illa paupertate oppressos, dum fuit in vita, largitate sua liberaliter subleuarat; tantum lacrymis, & deprecationibus effecerunt apud Deum, magis, opinor, quàm apud Petrum: vt iterum illi spiritus redderetur, sibi subsidium certissimum; quo suæ miserias inopiæ sustentarent. Dum enim ex vna parte ante oculos mihi proponitur desiderium illud incredibile sancti viri, ex hoc mortali carcere in libertatem amplissimam filiorum Dei conuolandi; & ex altera mentem, & cogitationem refero ad varia morborum genera; quibus ipse in toto suæ vitæ curriculo cum certissimo mortis discrimine laborabat identidem; & ad innumerabilia vitæ pericula, quibus diuino illum numine singulariter protegente, defunctus extra omne periculum est: facere non possum; quin ingrediar in eam suspicionem; Deo amicissimum hominem, cui nihil idem denegatum vellet, ideo de sua fuisse petitione deturbatum; quòd commune totius reipublicæ bonum cum lacrymis ad-

se-

se illum trahere, & ad omnium vtilitatem reposcere videretur. An id illa merita non videatur numquam exhausta in egentes liberalitas, suæ secura indigentiæ, sedula in alienis necessitatibus inquirendis, ab amore donantis maxime grata, ad tempus opportuna, ab insigni benemerendi voluntate munificentissima; pauperum sapienter consulens verecundiæ, propter beneficiorum communitatem largissima, in mendicos, in ignotos, in alienos, aduersùs eos, quos pudor à petendo deterrebat, erga omne mortalium genus, sine vlla exceptione, aut hominum, aut suæ inopiæ diffusissima? Publicas ægrotantium domos frequenter lustrare, ibique cibo alios reficere, medicamenta morbis aliorum adhibere, allocutione dulcissima, quos aliter non poterat, subleuare, lectos sternere, sordes excipere; in publicas ire custodias, secum epulas afferre, & in captiuos amantissimo cum sensu charitatis distribuere; peregrinos, quorum numerus in hanc vrbem se multus effundit religionis ergo, excipere hospitio, cõuiuio recreare, lecto fouere, pedes illis abluere, alijsque christianæ charitatis, ac demissionis officijs fungi

labores erant sancto viro quotidiani. Precibus emi à se beneficia liberalis animus non patiebatur. & quia muneris nundinationem non instituerat: neque vlla gratiarum exigebat officia; & ipsam gloriæ mercedem, quæ neque ab eo soluitur, qui accepit, neque ab vllo alio singulariter, mercedem omnium iustissimam, homo minùs auarus, vt modestè dicam, remittebat liberaliter. immo neque sibi, quòd cuiquam benefecisset, deberi quidquam existimabat; quod se Deo ante debere, publicæque hominum charitati profitebatur. Mendicitatem vt viueret patiebatur quis, vel iniquitate fortunæ, vel humili natalium conditione in eum statum delatus; neque ita illi facilis erat suæ tenuitatis modus subleuandæ? habebat in Philippo, quò se ipsius paupertas reciperet, vbi se recrearet, omnium semper patens necessitatibus asylum, & perfugium certissimum. cuius neque longiores amabat misericordia deprecationes, aut excitari volebat obsecrationibus: neque inexhaustæ fons ille clementiæ, vt liberales aquas effunderet virgæ verberatione geminata, extundebatur è saxo: sed è leni corde spontè fluebat,

ac

ac in homines calamitoſos maximè miſericordi. ſatis ergo erat ſuperque ſimpliciter, ac nudè, ſuam egeſtatem expoſuiſſe; vt inde non ſolùm commiſerationem, & alloquutionis dulciſsimæ ſolatium, quod exiguum nó eſt miſeriarum leuamentum, reportarent omnes: ſed opem, quantùm tenues illius ferrent opes, locupletem. & aquæ tantum ex illo fonte hauriebat quiſque, quantum hydria caperet; ſibi adſcribens ipſi, vberiorem ſi non colligeret; quòd vrnam magis capacem fonti non ſuppoſuiſſet, ideſt calamitatem non enarraſſet maiorem. Sed exaggeratam Philippi liberalitatem dicendo nimis extenuaui Auditores. quid, inquam, ſatis illi erat ſuperque, vt ab egentibus hominibus ærumnas ipſorum perciperet? qui, ſi ad ipſum leuis earum perueniſſet fama, ſi auditione aliqua percepiſſet, hominem reperiri rerum omnium egenum, accurrebat vltrò feſtinus ad ſubſidium, magis ipſe opis ferendæ cupidus, quàm alter recipiendæ. Rubor ille, quo humanæ ſuperbia naturæ ſuffundimur in alijs obſecrandis tam caro conſtat; vt illo ſuas commoditates, atque adeo vitam ipſam; qua quid eſſe poſsit carius?

rius? multi redimendam non putent. Quia ergo illud erat impressum animo, atque altè infixum; vt nulla pro dato beneficio solueretur merces: neque hunc ruborem homines repręsentare, veluti pretium in numerato, permittebat. & quamuis quicumque accessissent, ita eos, & recipiebat amanter, & dimittebat liberaliter, bona verba rebus adijciens bonis; vt magnum ille se lucrum fecisse crederet, qui petebat, quòd virum talem cognouisset, quem iterum rogare non erubesceret: nihilominùs tamen primam illam petentis verecundiam in suæ putabat iniuriam verti liberalitatis. Sed etiam adhuc parum diximus, Auditores. neque enim solùm eo nomine munus multiplicabat suum, tormento rogandi remisso munificenter, gratiaque verbi libenter facta non sibi minùs ingrati, quàm ipsis petentibus: verùm occupabat, quantùm poterat egestatis alienæ famam, diuinabat voluntatem, desiderium antecedebat, quærebat ille de quo bene posset mereri maiori cum diligentia, quàm alter, à quo beneficium acciperet. illa verè putabat gratis dari beneficia; quæ essent parata, facilè occurrentia

rentia, minus expectata, penè dixerim, ne dum adhuc in desiderijs. ipsos, quos iuuabat, fallebat, cum poterat; vt haberent, nec à quo accepissent, scirent: vt non solùm illos non puderet, quòd suæ fama egestatis præuolasset; sed nullam haberent verecundiæ causam, nemine sibi ante oculos exposito, suæ conscio paupertatis, apud quem illi possent erubescere. Quòd si minùs ita tacitè poterat, aliorum occurrere calamitati: de nocte solus opem afferre; vultus hilaritate omnem aditum claudere pudori, animos facere ad accipiendum verbis lenioribus, nisi fortè familiarem adijciens querelam, illum castigasset; quòd tardior fuisset in rogando; & cum aliquid opus haberet, non olim illum scire voluisset. Verùm adhuc hæsitans oratio mea, fides verita ne sibi denegetur, dubio pede tantæ fines liberalitatis non tetigit. præteruecta illa longiùs est columnas sibi positas ab antiquæ sapientiæ auctoribus omnibus. rogari noluit, erubescebat, famam, voluntatem, desiderium occupabat? vidit etiam in oceano amplissimo, quò posset vlteriùs enauigare: & velis plenissimis in eum feliciter

liciter appulit portum, quem longè ante ipsa Diuinitas attigerat, nostræ ingressa mare humanitatis, sua cum hominibus communicata immortalitate. Quid hìc expectatis, vt recenseam, Auditores? illum non solùm ita liberalitatem effudisse in calamitosos homines, & egentes: sed naturæ nimis acri propensione multa effudisse in vulgus beneficia, & sine vllo delectu proiecisse magis, quàm dedisse? nec in vitam inquirentem cuiusquam, nec in egestatem: quòd sordidi videatur animi illa diligens in aliorum miserias inquisitio, & amantis mercedem indigna cogitatio; ne in sterile solum, ac sementis non patiens beneficium spargas, & ingratos eos facias, in quos confers immerentes. at verò tam est alienum à virtute, libertatis leges transilire, quàm esse nemini beneficum; &, vt aiebat Romanus ille sapiens, nullius rei, minimè beneficiorum honesta largitio est: quibus si detraxeris iudicium, desinunt esse beneficia, in aliud quodlibet nomen incurrunt. Summum aliquod facinus, magnum, admirabile, incredibile prorsus expectate Aud: vincam tamen expectationem vestram, quia illius liberali-

tas.

tas omnem vicit humanitatem. nempè ipsius immortalis Dei didicerat exemplo, qui, vt suæ nos diuinitatis faceret participes, eam ad nostram depressit humanitatem, didicerat egere ipse; ne alius egeret quispiam; malè vestitus frigore obrigescere, ne frigeret alius; fame ipse propemodum confici, ne nescio quis alter esuriret. Exclamarem hìc in loco more solemni, nisi tua ista nimis exaggerata liberalitas in vocum egestatem orationem meam impulisset. Quid enim liberalem te dicam, munificum, benè de humano meritum genere vniuerso? nomina sunt vulgaria, & communes cum alijs multis laudationes. humanum te nuncupem? qui cum ipsa Diuinitate visus es, velle de humanitate concertare. magnificum? quam appellationem Aristotelis iudicio sibi iure vendicant ij, qui benè nummati, & affluentes lautè viuunt, & quod suæ commoditates reliquum ex annuis fecerint vectigalibus, in sumptus omnino impendunt insanos. at verò maioris istud fuit animi; quòd vel tuis nihil reliquum feceris necessitatibus; quò alienis occurreres: nihil ipse tibi habueris; vt haberes, quod lar-

gè

gè in alios effunderes, ac liberaliter. Memini me olim audire, apud Indorum populos aliquos maximè barbaros in magna fuisse admiratione, atque adeò veneratione Lusitanum hominem ex ijs, qui longissimam nauigationem suscipiunt, vt sine vllo suo fructu mercaturam faciant animarum; quas in cœlestem patriam transportent: propterea quòd ingentem auri, atque argenti vim, aliaque munera, & pulchritudine spectabilia, & vtilitate fructuosa, & pretio magna, & numero plurima, & raritate non vulgaria sibi amoris ergo à rege donata, primò recusarit accipere, & ne visa quidem remiserit; tum ad se iterum relata, ne humanitatis officia violasse videretur, & regi stomachum moueret, in suam id vertenti contemptionem; cum gratijs ille quidem acceperit; sed continuò, nulla eorum parte sibi ad suos vsus reseruata, tribuerit in suæ gentis homines, quos in album ex ordine referri iusserat, egentiores. Non ideo illa dicuntur à me, Aud: quòd existimem hæc in animis nostris non admodum multam excitare posse admirationem, factis iam, & ad omnem humanitatis partem informatis;
adeò-

adeòque barbaros Indiæ populos huc aduocem veræ nescios Diuinitatis, & omnis virtutis expertes ; vt habeat aliquos Philippus admiratores sui: sed à me ideò illæ citantur exteræ nationes, vt conuincam; non minorem apud nos admirationem commereri, ac venerationem Philippum ; quàm Lusitanum alterum apud nationes à nobis toto penitùs orbe diuisas: cum non sit minùs nouum, & inusitatum inter eos, qui vera, diuinaque sunt imbuti sanctitate; sua paupertate alios reddere opulentiores: quàm fuerit inter homines fallaci superstitione infectos, munera, vel recusare magnanimè, vel distribuere liberaliter. Neque verò stuporem debet illud imminutum ire; quòd hoc esset liberalitatis genus in Philippo frequentius: cum vel raró, vel vix vmquam videamus ab alijs, & humanissimis hominibus exhiberi. Quæ à me generatim, vniuersèque laudata sic sunt in hoc beatissimo viro, expectatis, opinor, vt singularibus enumerandis factis amplificem per partes. facerem equidem libenter ; neque vererer, ne in longitudinis me induerem reprehensionem : cum nulla sit æquè grata oratio ad homines
gratos

gratos; quam beneficiorum commemoratio; ſed alia maiora trahunt ad ſe conuicio vel inuitam, & nolentem orationem meam. Nimirum hæc ſunt, quæ terrenæ hominis parti conſulunt, quam habemus cum brutis animantibus communem: illa amplisſima, quæ vel ab vno ſperamus Deo, vel certè operam efflagitant diuinam, ſingulariter in bonum animi proſpicientia immortalis, & ipſi Deo ſimillimi. Diuini amorem numinis in omnium pectora infundere; aberrantes à ſuprema lege homines quà exemplo, quà exhortationibus, quà beneficijs vltrò collatis, in rectum tramitem reducere: aures aſsiduas præbere ijs ſine vlla exceptione, aut occupationis, aut temporis, qui ſuorum ſcelerum confesſione veniam exposcerent: extremum ſpiritum agentibus adſidere; ipſe contra hoſtes tartareos in eo vltimo conflictu pugnã inire, eos expellere, penitùs eijcere; ſpem interea loci addere morientibus; ad id itineris vocibus animare non minùs, quàm impetrato ſubſidio numinis confirmare; demum, quod in ea re ſummum eſt, & caput, qua pollebat apud Deum gratia, iracundiam iuſti vindicis mitigare

gare , & optimi parentis ad beneficentiam prouocare bonitatem . Mirum ſanè Aud: quanta cum diligentia in eam incubuerit curam Philippus, vt ſuis laboribus emolumentum animis aliorum ad omnem aſſequendam beatitatem faceret, ex eo præſertim tempore; quo illum, ne in ſolitudinem, & otium ſe conſerret, ſummi numinis intentata iracundia, deterruit Ioannes Baptiſta: iuſſitque ita illum in media ciuitate, in multitudine populi ætatem degere; vt nullam veræ quietis animi partem hominibus inuideret, commodis vitæ fruentibus ſolitariæ: ita ſolus eſſe ſecum amaret interdum, & cum Deo vel otiari, vel negotiori: vt ſciret gratius nihil ipſi eidem Deo futurum; quam ſi ad omnem procurandam animorum ſalutem ipſius ſe profiteretur adiutorem. Conſtanter enim, ac ſeriò in eam cogitationem aliquando mentem defixerat, vt in remotiorem aliquem locum procul ab hominum conuentu ſe reciperet, quo longiùs ab humana conuerſatione; eo etiam ab omni periculo iniuriam Deo faciendi remotiùs: quo ſolus magis, ac omni deſtitutus amicitiarum conſuetudine; hoc etiam fre-

quentiores cum Deo ſermones habere iucundiſsimos, & in eius vnam ſe amicitiam inſinuaret liberius. Ita enim ſecum ille animo reputabat ſuo. E paterna domo domeſticis reclamátibus exceſſimus; & parentes per aliquam ſpeciem impietatis deſeruimus; cum ipſorum grande ſenium vel ad conſolationem, vel ad vitæ adiumentum noſtram maximè operam exigebat: quia nimirum ita ipſos nos in adoptionem Deo mancipare ſperabamus, & æquiùs à dulciſsimo Patris nomine noſtras ad eumdem deprecationes exordiri nos poſſe credebamus. Exul è patria voluntarius, ceteroqui ductu ipſo naturæ mihi cariſſima ſolum verti; vt quando in hoc terrarum orbe à noſtris ædibus exulamus omnes: neque hic ego vllam haberem natalem, & altricem terram: ea ſpe recreatus, fore vt aliquando condemnatus, & eiectus nunc in cœlum ſummi tabulis Principis, in meá patriam reſtituerer. Amicitiarum conſuetudinibus, quas habui oppidò multas, & ſanè conſtantes, nec vllum officium, nec verò vitæ iucunditas, quæ in amicis eſt maximè, nec illa ſocietatis inſita cum natura nobis appetitio deterrere me potuerunt, quo-

minus

minus nuntium remitterem constantissime: ne me olim ab amicitia diuina, coeli umque remouerent, & familiarem cum amicis talibus mihi obturbarent collocutionem. Bona, quæ à parente mihi veniebant hæreditate, inire recusaui; erectus in spem communis cum Dei Filio hæreditatis. Voluptatem escam malorum, decori labem, honestati contrariam, illecebram turpitudinis, indignam hominis præstantia, inimicam rationi, spreui, odi, fugi, penitus oppressi: quia plane, apertèque videbam, nullum illi esse posse cum virtute commercium; neque in eius regno decus, famam, pietatem, religionem, pudorem, quidquid habet humana natura præstantis, & boni, posse consistere. Sed nihil fecimus, obtinuimus nihil; si adhuc viuimus inter homines, & in medias nos immittimus ciuitates. in solitudinem aliquam remotissimam fugiendum mihi penitus est, si omnes vitiorum fibras extirpare radicitùs est in animo. scelerum contagio latiùs patet; quàm vellemus. vitia mala sunt perniciosa, pestilentia, raro vnum contaminant, sæpiùs pertinent ad multos; afflatu contrahuntur, tactu, au-

ditione, aſpectu; atque adeò non omnino à ſcelere immunem degis ætatem, quicumque vitam agitas inter ſceleratos. Quàm perueniunt ad aures multa, ex quibus vel trahat animus moleſtiam, vel inani efferatur lætitia: quæ non audiſſe, ſi vita ipſa poſſes redimere; illam non inaniter impenſam aliquãdo exiſtimares? quot hauriunt oculi vel inuiti; quæ in mentem delata, ſtatum illius perturbent omnem futilibus, & vanis cogitationibus, cœcis cupiditatibus, angoribus intolerandis? illud verò ex ijs m lum ortum quàm periculoſum, quàm graue? quòd ſemel animo infixa non euelluntur facilè; nullum quieſcendi liberum tempus permittunt; ſolum eſſe non patiuntur, cum maximè velis eſſe; importunè ſe cum ſecretis de Deo miſcent commentationibus; nihil agere, nihil meditari ſinant; quin illa non quæſita, non aduocata, repulſam etiam paſſa non ſemel, tibi ſe proponant ante oculos, totamque ad ſe trahant cum memoria intellectionem. Adde huc præterea tot malorum illecebras, tot peccandi lenocinia, & blandimenta, immo tot ad ipſam extremam perniciem inuitamenta: opportunitatem,
fa-

facilitatem, prauorum hominum exempla; voces, exhortationes; quin &, si Deo placet, post maleficium adulationes. O malas viuendi conditiones; vbi sic viuitur; vt benè sine obtrectatoribus non possis: mala vita multos habeat sui amatores, & laudatores plurimos? Quid igitur nō hinc penitùs facessimus, veluti ab infecto, ac pestilenti cœlo, & in solitudines nos abditas immittimus' in arcem validissimam; quo non accedunt meleficia, pietatis, pudicitiæ, religionis, honestatis, munitissimum expulsarum ab vrbibus virtutum receptaculum. In illis rusticis moribus, in victu arido, in horrida, incultaq; vita nulla scelera gigni solent. & quemadmodum non arborem in omni agro reperire potes: sic non omne facinus in omni vita nascitur. illæ bestiæ immanes, quibuscum inire societatem cogitas, quia sunt ipsæ innocentes, tuæ defensionem suscipient innocentiæ. quamquam illæ sunt potius feræ dicendæ; apud quas ipsa sit numquam secura vitæ integritas. & benè si memoria repetis, vt è sacrarum habemus litterarum monnmentis, ipsi Dei Filio beatæ cœli mentes à summo parente tunc non

tam in societatem, quàm in seruitutem sunt datæ: cum eam feras inter syluestrem egit vitam, & inculta cum brutis animantibus habitare nemora, non erubuit. Ea cogitatio iam hominem impulerat suæ salutis diligentem; & conuasatis rebus omnibus, iter in locum suæ quieti destinatum conferebat; cuius vnica vel spes, vel contemplatio (is erat amor secessus, & solitudinis) tantam animo fecerat lætitiam, & alacritatem: cum summus ille rerum omnium dominator, qui de eo viro ab omni æternitate longè aliud constituerat, Ioannem Baptistam ad eum allegat cum seueris mandatis: vt conceptum animo solitudinis amorem deponat; ad labores potiùs accingat se; neque solus in altissimum cœlitum domicilium, quod iure patriam vocabat suam, reuersionem facere cogitaret; sed clientibus benè multis comitatus ascenderet; si adesse percuperet carissimus, sciretque, se non posse ad æternam aspirare felicitatem, nisi prius, quæ debebat, redderet omnia Romanæ ciuitati, concurrentibus aduenis, toti Christianorum multitudini. Sumeret igitur animos; nec recusaret suam in eam rem operam. Deo collocare

locare ; in quam ille vitam impendiſſet. intelligeret nullam ſibi vitam futuram ſecuram, & quietam; quæ conſcientiæ ſtimulis ageretur, ſe à Dei voluntate receſſiſſe. tranquillitatem animi poſſe Deum condonare, vel in medijs tumultibus, & rebus turbulentis: homines nec in loco quietis pleniſsimo poſſe capere: cum facere non poſſint; quin ſemper ſecum infeſtos habeant comites, rationi nequaquam parentes, turbidas, & inimicas quietis animi perturbationes. Neque verò à Ioanne Baptiſta multa pro cauſa fuerunt dicenda; aut valdè fuit elaborandum; vt id Philippo, ad quod allegabatur, perſuaderet: cui numen diuinum ſemper adeò fuit ſacroſanctum; quem etiam charitas hominum, & ſenſus quidam communis ad alienæ beatitatis procurationem inflammaret: cui, cùm etiam probè videret, ſe ab auctore naturæ adiumentis omnibus ad eam procurationem præparatum, non leuem iniecisset ſcrupulum timor; ne iudicium aliquando ſeuerius de ijs acceptis à Deo muneribus eſſet ingrati nomine ſubiturus; quem poſtremò amor ille aduersùs Deum ardentiſſimus magno inflámabat de-

ſiderio, vt, ne ab alijs illa ſumma maieſtas læderetur, curaret diligenter; & quos poſſet plurimos in illius maximè liberam immo regnatricem ſeruitutem impelleret. Nimium quantum creſcat hæc oratio; ſi perſequi minutatim velim omnia, quæ ipſe in aliorum procuranda ſalute geſſerit, quantùm fecerit, quantùm laborauerit, quanta ſuſtinuerit, ac tolerauerit mala; quem deinde ſudorum, facinorum, perpeſſionum non tam ipſe, quàm alij fructum perceperint vberrimum. Teſtes ij mihi ſunt omnes; quos ille turpiſſimè iacentes, & conſopitos in erroribus excitauit induſtria, excitatos erexit exhortationibus, erectos confirmauit diuino imperrato auxilio; donec in extremo illo conflictu contra hoſtis inſidias acerrimi armis accingeret, victoreſque ad triumphum in cœleſtem patriam immitteret. Teſtes hæc, quæ Romæ viſuntur, ſapientiæ theatra; in quæ ille magnam incluſit adoleſcentium manum; vt ſapientiæ pulchritudinem admirarentur ſpectatores diligentiſſimi: quorum etiam non paucos ære precario conquiſito ſuſtentabat; ne onus graue paupertatis celeres ingenij volatus deprimeret.

ret ad terram. Testis illa negotiatoribus frequens via; qua huc, & illuc sedulus non pecuniarum inquisitor, sed hominum cursitare solebat; & quos vidisset ex iunioribus præsertim, longa nondum consuetudine nimium inseruientes auaritiæ, ad se allicere, bonis verbis, habitisque de diuinis rebus sermonibus, à cupiditate nimia reuocare; in sacras ædes frequenter cogere; ad expianda per confessionem crimina impellere; ad omnem exequendam Christianæ pietatis partem, numquam ferè suarum exhortationum expectatione frustratus, ad rectam vitæ suæ in posterum institutionem inflammare. Testes ij virorum cœtus; qui singulariter se diuino cultui manciparunt; quorum nulla est familia, vel vetustate veneranda, vel nouitate firmior; quæ multos non enumeret à Philippo sectatores. Testis hæc ipsa vrbs Romana, quam ille Augusto magnificentiùs, qui vrbem se inuenisse lateritiam, relinquere marmoream gloriabatur; prædicare de se potest, se moribus inuenisse imbutam dignis antiqua superstitione, relinquere prorsus, ac verè Christianam. Testis demum vester iste conuentus, Patres; à quo in

Romanam vrbem, vniuersamque Christianam Rempublicam si quæ proficiscuntur adhuc beneficia, proficiscuntur autem plurima, vni debent accepta referri Philippo parenti optimo, primoque auctori. Restitutam sacris ædibus debitam aliquando venerationem, deperditam custodum negligentia, nostris gratulamur, Auditores, temporibus: eius gratulationis partem si non omnem, certè multam quis adeò ingratus deberi vestræ sedulitati, atque adeò Philippi solertiæ inficietur? Vtilitates habere multas consuetudinem illam fatemur omnes, olim apud Christianos antiquissimam, multis annorum cursibus intermissam; vt homines magis religiosi certis diebus in vnum se locum conferant; vbi & multum temporis in rerum cœlestium meditationem impendant; & audiant aliquem e superiori loco de Deo, de beatitate, de salute animæ verba facientem; voluntaria etiam verberatione peccatorum pœnam subeant sua manu, iustamque summi vindicis frangant iracundiam; & ad omnem erga se benignitatem, populumque vniuersum diuinam prouocent bonitatem? in eius quoque gloriæ laudem ita Phi-

lippus ingreditur, vt vix vllum alium in ea re socium agnoscere videatur. Quis non ad pietatem sentit se prouocari cum Bacchanalijs, ijs nimirum diebus, quibus omnis licentia debacchatur impunè, videturque per summam mortalium impudentiam tartarei prædonis erectum esse, ac propositum vexillum, ad quod homines laruati concurrant, vel in speciē etiam, si Deo placet, bestiarum, & Dæmonum, ijs, inquam, temporibus quem non ad religionem commouet piorum illa hominum multitudo, quasi manus Dei collecta contra inimicum exercitum, vestrum sequuta ductum, celeberrima in modum supplicationum Dei, cœlitumque obiens delubra; non tam armis bellum hostibus illatura, quàm precibus ipsi obsistens diuinæ iracundiæ, ne gentem humanam rursus, aut igne, aut aquarum colluuione perditum eat, sceleribus nefarijs nullum non suppliciorum genus cōmeritam? id quoque institutum Philippi est; qui, vt in initijs, paucos primò habuit respondentes ad nomen: sed tantus consequutis post temporibus fuit eorum numerus; qui volebant in eam scribi militiam; vt regij referret exer-

citus ſpeciem ; & ipſi poſſet ſibi Deus gratulari ; quòd nuper ſolus, penè regno expulſus , tanta poſtea cum multitudine non tam in aciem deſcenderet conflicturus ; quàm cum Philippo legato dixerim ſuo triumpharet . Quæ in omne genus humanum , ac præſertim in Romanam vrbem beneficia ne ſua morte determinarentur : duos hominum cætus inſtituit ; quorum alteri nomen eſſe voluit à ſanctiſſima Trinitate ; qui conſuleret iis neceſſitatibus , quæ pertinent ad corpus : alterum , vos inquam , Patres , ita reliquit ſuarum laudum hæredem ex aſſe ; vt eodem teſtamento vobis eam diligenter curam commendarit animorum ; in quam ipſe , dum viueret , toto incubuit animo ſtudioſiſſimè . Ampliſſima eſt hæc ſanè Patres hæreditas . in qua non ingens pecuniarum vis numeretur , non luxurioſum inſtrumentum , non ædes magnificæ , non fructiferæ arationes , non vrbes , non regna : ſed quod eſt iis amplius , quia eſt immortale , nec vlla variantis iniquitate fortunæ vobis eripi poteſt ; patrimonium ille reliquit , ex ſuis conſtitutum virtutibus , laudibus , gloria , nomine , quæ animo comple-

xi memoria sempiterna colatis; effícta moribus, expressa factis in illustri ponatis monimento ad exemplum ceteris, ad Philippi decus, ad vestri grati animi significationem sempiternam. Exanime illud corpus, magnarum hospitium virtutum sumptuoso condidistis tumulo, picturis exornato plane apellæis, solo marmoreo, gemmeis parietibus, fornice margaritis distincto; ad qnod cum mortales accedunt, ab illa ipsa elegantia fabricæ, ac magnificentia ad pietatem excitantur erga beatum hunc virum; & intelligunt, quanta vos cum religione veneremini parentem vestrum, sodalitatis auctorem, legumlatorem, propagatorem nominis, ac famæ, vt vno omnia complectar verbo, veræ salutis largitorem. Nullum ne, cum ita hominis parti terrenæ prospicitis, nullum virtutum illarum monimentum erigendum cogitatis? quod non in marmore, non in ære sumptuosius, quàm in vestris ipsis pectoribus, in gratis filiorum animis excidi potest. Annalium memoria, annua nominis commemoratio, testes temporum litteræ, solemnes feriæ, honor ille supremus, qui solet sanctis viris decerni

cerni, auctoritate confirmatus Pontificia; cum amplissimum nomen acquirunt, cum publicè coluntur ad aras, cum coeleste ipsum domicilium virtute pridem acquisitum videntur illi iam legibus adire, est aliquid, non nego, Patres: sed non in isto sunt omnia. illa Philippi virtus hæreditate vobis relicta virtutem exigit; & ea nos posteri à vobis repetimus beneficia quasi iure; quæ acceperunt à Philippo parente maiores nostri. Virtus gloriam sibi gignit, & nomen; in aliorum pectoribus, nisi si degeneri partu, virtutem parit: eadē prædicatione percrebrescit non parum, sed imitatione maximè propagatur. Ad vestram, opinor, pietatem in parentem pertinere arbitramini; vt ex illo gradu, quem semel attigit, honoris deturbetur numquam. id obtinere faciliùs non potestis: quàm si vitam illam admirabilem imitando in vestris moribus, in factis, in vita contemplandam omnibus proponatis. Ità sunius Patres, vti communiter eam imbibimus opinionem, fortes creari fortibus, & bonis, esse in iuuencis, in equis, nedum in hominibus patrum virtutem: ita filiorum laudes, & gloriam, quæ in

alios conferant beneficia, si quid fortiter gesserunt; virtutes omnes in parentes non iniqui veritatis æstimatores transferimus. Moeret Roma, eius viri dolet obitum; cui si licuisset de sua multum æternitate commodasset: non pictæ imagines, non præclarè coloribus expressa facinora non publici honores eum dolorem imminuunt; cuius potius gratam ingratè memoriam refricant. vestrum est, Patres, ei dolori afferre leuamentum; si ejus virtutes, & beneficia pari studio, pari liberalitate propagetis ad posteros: adeo vt possit hęc vrbs credere, non eum sibi esse mortuum; qui ad vtilitatem omnium adhuc viuat in filijs, & beneficijs suis.



LAV-



Laudatio dicta EM. CARDINALI LVDOVISIO;

Cum exceptus conuiuio à Patribus Soc. IESV in Collegio Romano varijs linguis laudaretur.

Et in versutias Parabolarum simul introibit.

Eccles. 39.



Ihil est in hac rerum omnium vniuersitate P. Em. vel ad humanas commoditates necessarium, vel ad conseruandam sanitatē opportunum, vel contra morborum

grauitatem salutare ; singularitate
summum , iucunditate vendibile , pul-
chritudine spectabile , ipsa hominum
opinione pretiosum : cui multum ip-
sa rerum parens natura non voluerit
addere commendabilitatis ; prudenti
sagacitate omnibus absconditis , &
intra montium depressis altitudines
ab hominum prorsus aspectu remo-
tis solertia nimis diligenti . Aurum
sanguinem suum abdidit intra visce-
ra ; vt non nisi venis incisis palmari
cum impietate per illius vulnera ex-
traheretur ab hominibus . Coralia
intra maris vndas altissimas recon-
didit , itinere tanto magis interclu-
so ; quanto peruium videtur magis ,
& fluenti liquore minùs humanis a-
ditum corporibus intercludere . Con-
chylia , quia margaritarum voluit es-
se custodes , solida testa veluti moe-
nibus vallata voluit firmissimis . Gem-
marum , lapidumque pretiosorum in
silicibus asperrimis , tamquam in ar-
ce munitissima , præsidia constituit
contra mortalium auaritiam . Quàm
multa collocauit in herbis , in radi-
cibus , in animantibus aduersùs in-
gruentium ægritudinum dolores hu-
manæ vitæ subsidia ? Sed qua mor-
tiferis venenis , quà intolerandis ama-
ritu-

ritudinibus, qua noxijs qualitatibus ita immiſcuit: vt ſpinarum acumine roſæ iucunditatem circumſepire voluiſſe videatur. Siue quod bona parens ea, quæ cognoſceret, iniquam anſam præbitura mortalibus procul ſe ab ipſo naturæ conditore, rerumque omnium earum datore liberali removendi, ab hominum & oculis. & cupiditate inſatiabili remouenda curauerit. ſiue quòd etiam nouerca loco priuigni homines haberet vniuerſos; adeoque ſuum nollet eos patrimonium obtinere ſine ſummis laboribus, & multo certamine: vt potiùs rapta videretur è bello præda; quàm inita legitimo iure parentis hæreditas. ſiue nimis rerum ſuarum tenax, & auara theſauros defoderit ſuos, verita ne diſsiparentur: certa etiam ab illa condendi ſolertia, rebus multum ſuis accedere pretij, & vulgaris opinionis.

Naturæ prudentiam imitati ſunt veteres illi ſuperſtitionis antiquæ ſapientes; qui ſcientiæ opum auarè liberales ita Philoſophiam in omnium conſpectu, ac oculis poſuerunt: vt inuolucris apologorum, & fabularum integumentis natiuo illi ſapientiæ ſplendori tenebras offuderint. de in-

du-

duſtria ſempiternas ; Aegyptij , apud quos primùm videtur diuerſorium poſuiſſe philoſophia, vt exprimenda ſenſa mentis obſcurarent, inuexere hyerogliphica. Brachmanes accepimus Indorum ſapientes, & ſuas turres, quas habitant, ita erexiſſe, & veſtimenta, quibus obducuntur, ita contexuiſſe; vt ſemper ipſi ante oculos habeant ſuæ ſymbolum religionis: populus interim figuram admiratus, latentia tamen ignoret Diuinitatis myſteria. ducto fortaſſe exemplo ab Iarcha illo Brachmanum principe: quem in aereo tribunali ſedentem non ad inductionem terroris atro, aut ad opum oſtentationem, ac pompam aureis cælaturis, ac ſignis ornato, Apollonius offendit; ſed vt adeuntibus ipſo primo aſpectu occultam quamdam præſeferret ſapientiam. Plato diuinus ille Philoſophorum Homerus Sileni ſui diuitias, & varietate ſpectabiles, & multitudine pretioſas, quas in medium pectus abdiderat, externa corporis contexit deformitate: vt credibile fecerit, nihil pretioſum in corpore latere ſœdiſſimo. Pythagoras numerorum ſubductionibus numeris explebat ſuis philoſophiam. Plena eſt fabularum antiquitas

quitas, plena fictorum Deorum, pleni sunt omnes libri sapientum palmarium mendaciorum: in quibus tamen, tamquam in fundo (vt aiebat ille) latet ita veritas philosophiæ: vt dubitari profecto possit; an illi philosophiam diuulgare, an supprimere voluerint an gustatum sciendi veluti quibusdam condimentis commouere, appetitum non explere; vel etiam ea fabularum suauitate vulgares homines, ac rudes allicere ad rerum naturalium cognitionem.

Quid veteres illos commemoro sapientiæ consultos insipientis: quando sapientia ipsa immortalis, quæ lucem habitat in cœlo inaccessibilem, cum inclinauit cœlos, & descendit ad nos, caliginem posuit sub pedibus suis, & tenebras in circuitu latibulum. Sed alio sanè, diuersoque consilio, & hominum amoris pleno. quia cognoscebat in humanis pectoribus tantum de amore in quampiam rem crescere; quanto plus laboris exanthlauerint, ac difficultatis in acquirenda. Neque poterat Iudex æquissimus de suo ipso nos munere remunerari; cum tamen ardentissimè cuperet: nisi nos etiam de nostro impendissemus aliquid in rei pulcher-

rimæ

rimæ adeptionem. Ideoque vim omnem ſapientiæ, quà ſacrificiorum cęremonijs, quà myſterijs rerum omnium diuinarum, quà templi ſui, omniumque membrorum opulenta, æquè, ac magnifica conſtructione; & ſomnijs nocturnis, & diurnis viſionibus, & hiſtoriarum argumentis, & figurarum inuolucris obduxit, cum nondum inter homines Deus homo diuerſaretur: poſtea & ſententiarum grauitate, & ſimilitudinibus reconditis, & parabolis explicuit primùm ipſe apud Hæbreos; tum ope ſuorum, vt neminem tanti muneris relinqueret expertem, longè, latèque diffudit in terrarum orbem vniuerſum.

Tu ſapientiſsime Princeps in earum parabolarum altitudinem, tamquam in abundantem auri fodinam ingreſſus, tuum illud aurum gentilitium, ideſt ipſam vel ſumma diuinarum litterarum auctoritate ſapientiã extraxiſti; & è cœlo tuæ familiæ purpureo ſuſpenſum, tamquam in bono lumine, ad omnium conſpectum collocaſti. Ad iſtud igitur tuum ſapientiæ ſtemma, in bellicis expreſſum vexillis, tui conuocantur in Germania milites: vt intelligant hoſtes atrociſsimi, te & armis Imperatoris iura


iura contra ipsorum audaciam defensurum; & sapientia religionem ab eorum impudentissimis mendaciis propugnaturum. Extollitur iam illud in arcium culminibus, & in pinnis murorum exculpitur: quia verum illud existimatur communiter latinæ parentis eloquentiæ dictum: tutiùs vrbes prudentia, quàm castellis communiri. Ciuitates adeuntibus, tuo subiectas imperio, nihil priùs offertur ante oculos, quàm istud tuum dicam; sed etiam sapientiæ insigne; vt ijs omnes gratulentur, quòd inane Platonis votum obtinuerint, te & Principe, & sapiente. Visitur in templorum delubris; quia facilior non datur aditus ad immortalem, quæ ibi colitur, sapientiam, quàm per sapientiam tuam è cœlesti delibatam. Fulget iam vbique illud aurum è summis domorum vestibulis, communi cum omnium plausu: quòd rara olim, sit nunc frequens adeo te Principe sapientia. Ante hoc ipsum lyceum suspenditur, quod sapientiæ mercatum voluit esse Gregorius decimustertius ciuis tuus; documentum prætereuntibus, hìc sapientiam confici, distrahique. Et sanè dum te hìc videmus præsentem, quis neget in

hac

hac officina litterarum ſapientiam latere? Sed quando humanum pectus diuerſorium eſt peropportunum ſapientiæ: nuſpiam meliùs illa ſapientiæ nota cælabitur, quàm in noſtris ipſorum cordibus ad grati animi ſignificationem, ad poſterorum memoriam, ad communem vtilitatem, ad ipſius ſapientiæ voluntatem, ad iſtius benignitatis monumentum, ad exemplum inſequentium Principum, ad perpetuam tui nominis immortalitatem.



An



An vti liceat prooemio?

DELIBERATIO CONTRA AREOPAGITAS.



COnſeſſus iſte veſter, Aud: iſta litteratorum hominum panegyris, quamquam mihi ſemper multo viſa eſt grauiſsima, & ad dicendum amplißima: hodiè tamen ita mihi videtur ad omnem ſpeciem auctoritatis compoſita: vt Senatus illius Romanorum antiqui; de quo grauiſsimum extat Cyneæ dictum, tot ſibi reges viſos quot vidiſſet Patres; illiuſmet conſeſſus amplitudinem, ac dignitatem animo repræſentare videatur. Quare ita mecum ſtatui non

ſolùm

ſolùm nihil hùc, niſi laude ingenij ſplendidum, arte, ac ſolertia perpolitum afferri debere: ſed res ipſas eſſe ex eo rerum genere oportere: quæ poſſint grauiſſimorum hominum aures, ac mentem detinere occupatas cum dignitate. quo de genere quia ſemper exiſtimaui decretum illud, quod olim in Areopago legibus fuit ſancitum ſeueriſsimis: vt ij, qui ad dicendum aggrederentur, ſine vlla inſinuatione proœmij ingrederentur in cauſam; ſine vllo epilogo finem imponerent orationi ſuæ; libuit hìc hodie ad Romanæ inſtitutionis normam, veluti ad Senatum frequentiorem de re tota denuo referre; præſertim cum longa retro annorum commemoratione hæc præfandi neceſſitas in vſu ſit poſita florentiſſimæ huius litterarum omnium Academiæ. vt vos demum ea, quæ Senatus olim pars ampliſſima cenſuit, veſtra auctoritate comprobetis, vel, ſi non placent, antiquetis, ac abrogetis. Duas igitur habeat partes oratio mea neceſſe eſt: quarum altera falſum illud fuiſſe Senatus conſultum Areopagiticum doceatur, vel factum contra rempublicam: quod ideo Romanarum legum ponderibus examinabimus

diligenter: quia video litteratis viris ea maximè probari; quæ fuerunt à Romanis instituta; nec alias ceruicibus suis leges ita facilè imponere; quàm eas; quæ olim Roma vel ex Senatus auctoritate, vel ex populi potestate sanciuit, ac tenuit: alteram; qua nullas fuisse rationes confirmem; cur ita oratores prohiberentur exordio, prima nimirum orationis parte, ac principe, non ad necessitatem minùs inuenta; quàm ad ornatum inducta, & dignitatem.

Verùm hoc initio dicendi commouet me nonnihil, ac perturbat aduersariorum auctoritas; quam & illis integritatis fama conciliauit, & confirmauit antiquitas. quæ duæ res vti plurimùm possunt in hominum conuentibus: ita alteram metuo, Auditores, alteram vereor. Singularis auctoritas Areopagi legibus, & decretis munita seuerissimis, & iudicijs comprobata certissimis, quem non in eam inducet opinionem; vt credat, Areopagitas & magni consilij viros, & antiquæ sanctitatis religiosissimos Senatores non oratoribus inhibituros vti prooemijs; nisi priùs collatione facta exordiorum necessitatis, qua se teneri oratores putant;

cum

cum ijs fallacijs; quibus in proœmijs circumueniũtur iudices: vtilitatis cum inductis maleficijs: pulchritudinis cum deformitate iudicia corrumpendi: perfectæ orationis partium cum ijs partibus, quæ desiderantur in iudice: artis rhetoricæ præceptorum, cum iudiciarijs decretis, de re tota sic iudicassent: satius humano generi videri infringere leges omnes eloquentiæ: quàm de iudiciorum integritate nonnihil remittere: minori cum dispendio desiderari posse aliquid ab oratoribus in oratione vel aliena, vel sua: quam in iudicibus ea requiri; quæ si deficiunt, deficiat adeo vis omnis æquitatis, & natura: non præponderari turpitudinem, quæ est in deformato iudicio, dignitate orationis perfectæ: solidas in ea re non esse opportunitates; quæ tot inuexerit innocentiæ detrimenta: demum id non habere necessitatem, in quo omnia sunt ad fallendum composita, concinnata ad auertendum animum iudicis, exquisita ad eludendam veritatem, constituta ad inanitatem, vanitatem luxuriam: vbi non tam ad iucunditatem rotundantur periodi; quàm rete contexitur ad Auditores implicandos: vbi orationis

 la-

lasciuia non tam aures titillantur; quàm in animos immittitur quædam mollities, quæ auertat ab æquitate: vbi non tam omnes effunduntur eloquentiæ delitiæ; quàm abducitur ad delitias is, qui audit: vbi demum nugis, inanibus flosculis, mellita oratione, verbis leniter cadentibus, orationis fucato splendore, eloquentiæ ostentatione distrahuntur Auditores à serijs rebus; veritas obscuratur; æquitas implicatur; iudicium impeiuntur, ac ratio; defatigatur intellectio; mens, & animus ad ea inuolucra, & delitias ita euocatur; vt se non possint intendere ad ipsum factum disquirendum, examinandum, iudicandum. Ergo ne ea, quæ ab hominibus virtute cognita amplissimis, iudicij acumine præstantibus, vberiori doctrina sapientibus, fide maximè spectata probatissimis, rerum vsu callidis, anteactorum experientia peritis, præsentium examinatione solertibus, futurorum prouidentia diligentibus, propositi, susceptique consilij constantia grauibus, in granitate constantibus, in causis dijudicandis, legibus condendis exercitatissimis, generis claritudine honestis, ac plane splendidis, pulcherrimorum in-

inſtitutorum minimè negligentibus, moribus, & viuendi ratione innocentiſsimis, & naturę, & vitæ genere, & vſu, & diſciplina, & legibus; & ſociorum exemplo; & totius Græciæ conſcientia temperatis, ac moderatis; decreta ſunt cum ratione, prudenter, cum maturitate ſapienter, cum grauitate conſtanter, cum amplitudine honorificè, cum æquitate, ac iuſtitia ſanctè, fortiter, acriter ſunt ſancita, promulgata, obſeruata: ea quæ Athenienſes omnium prudentiſsimi primùm probarunt, ac rèceperunt; quæ Solon, qui & ſapiens vnus fuit ex ſeptem, dum Draconis leges antiquiſsimas qua corrigeret, qua etiam antiquaret, ac deleret, attingere non eſt auſus; quæ multæ poſt nationes, ac in primis Lacedęmonij in ſua inſtituta tranſtulerunt; quæ Plato, alijque viri clariſſimi laudarunt, laudata probarunt, probata ſuis legibus inſeruerunt, inſerta non certis rebus publicis; ſed vel terrarum orbi vniuerſo, vel quod eſt amplius illi reipublicæ obſeruanda propoſuerunt; quam informare poſſumus quidem animo, reperire certè à nimis abſoluta partium deſcriptione non poſſumus: ea decreta, quæ

quæ vſu cōcalluerunt, quę comprobauit experientia, gentium omnium conſenſio commendauit, prædicauit, atque adeo vehementer eſt admirata: repudiem ego, conuellam, infirmem; & ſi Deo placet, penitùs etiam diſſoluam? audax ſim, ſi cogitem; ſtultus, ſi obtinere me poſſe exiſtimem; ſi profitear, ridiculus; temerarius, ſi aggrediar. Egone forum illud æquitatis in culpa eſſe, potuiſſe, crediderim aliquando? ego illud templum ampliſsimum ſanctitatis, ac religionis euertam? ego illam aram iuſtitiæ prophanem, ac violem? ego illud oraculum veritatis inſimulem vanitatis, ac falſitatis? ego aſylum illud, hominibus erectum, vel iniqua potentia, vel infanda eloquentia oppreſsis tollam, ac diruam? ego curiam ampliſsimam immota iuſtitiæ virtute firmatam exſcindam? ego tribunal illud magnis actis in eo cauſis formidabile, omnium approbatione ſummum, honore ſacroſanctum, poteſtate ampliſsimum; poſt omnem impietatem, omnem audaciam, ac temeritatem, poſt omne malum facinus, flagitium, ſcelus è media Græcia quà ſapienter, quà fortiter ſublata, & expulſa, exturbem

bem, ac deijciam? ego demum Senatum illum, non minùs à turba seuocatum; quàm secretum à noxa, auctoritate tam vera, tam graui, tam irretractabili, ac sacrosancta fundatum, ac stabilitum; vt & vniuersa Grœcia, & omnium regina Roma ex Areopago Atheniensium per triumuiros iuris, & æqui regulam; puniendi, cohonestandique rationem; imperandi, prohibendique iura; iubendi, obsequendique normam; & fundamenta libertatis, & decreta legum sanctissimarum expetierit: errasse, offendisse in hac sapientium Auditorum corona asseuerem; atque adeo me facturum alijs dicendo etiam probabile prædicem, & iactem? neque sanè apud eos agimus; quibus ita facilè tenebras possimus offundere; neque ego mea tenui eloquentia consequuturum vmquam me, sperem: vt ea, quæ probari neque possint in vulgus dicendo, sapientissimis hominibus probabilia videantur; neque si sperem, ac possim; velim cum eloquentiæ laude, cum existimationis, ac probitatis iactura, ea dicendo pro falsis conuincere; de quibus ne dubitare quidem nos posse crediderim sine magna insipientiæ nota, sine te-

meritatis nomine, ſine vera reprehenſione ſapientum, ſine iuſtiſsimo bonorum odio, ſine reliquorum omnium grauiſsima offenſione.

Sed ſanè iniquè nimis agunt nobiſcum, & miſeram conditionem inſtituunt vniuerſæ reipublicæ litterariæ; qui, nullo facto ſenatuſconſulto, auctoritatem minimæ ſenatus partis, plebe non ſciſcente, atque adeo vetante populo, ita perſcribunt: vt rem integram ad frequentiorem ſenatum referri non permittant. propterea quia, vt ipſi aiunt, ea ſenatus pars, quæ in hanc opinionem vnanimi conſenſione diſceſſit, quamuis fortaſſe numero ſit impar; longè tamen antecellit, ac ſuperior eſt auctoritate, prudentia, numeris omnibus ſenatorijs. Tolle mihi è cauſa nomen Areopagi; remoue pondus; quod in hoc nomine ab æquitate, à prudentia, ab integritate ſitum eſt grauiſsimum; quæ vt maximam vim habeant in vna qualibet ciuitate; in libera nihilo tamen minùs republica, cuiuſmodi ſunt litteratorum cœtus, præcipuè cum de legibus agitur; quibus vniuerſus teneatur populus; numero, ac frequentia facilè præponderantur. Congredere igitur me-

cum

cum legibus in suadenda lege; congredere, si quid potes, argumentis. Non potes illam nobis legem imponere ex senatusconsulto, quod non extat; neque delatum est ad ædiles, ac tribunos plebis; neque perscriptú; nec vspiam factum. Quid enim potuit fieri in summa senatorum infrequentia; senatu non coacto legitimo edicto; nullo magistratu maiori senatum habente; nec rogatis sententijs, neque per discessionem; de nocte tempore non suo, die non senatorio, loco inauspicato; rem denique dissidijs protrahentibus, non tenui aliquo, aut pedario senatore: sed omnibus penè consularibus, & ipsis consulibns Demetrio, Cicerone, Quintiliano, Aristotele, ac, ipso citra omnem inuidiam senatus litterarij principe Platone intercedente. Ergo senatusconsultum id dicetur, quod nouem soli senatores censuerunt? ex hoc enim numero cóficiebatur Areopagus. nisi si potius decretum illud non totius Areopagi dicendum est; sed vnius Draconis, cuius eæ sunt leges, quæ seruantur in Areopago. At enimuerò quis indixit senatum? quis ad consultandum de hac lege senatores citauit? ad quem euocati?

quam ille personam sustinebat in nostra republica? priuatam? at senatus conuocandi ius abest priuatis: publicam, & quæ esset cum imperio? an ijs etiam, qui magistratum gerunt integrum est Patres in curiam accire, quo die magis est collubitum? hora non dicam extraordinaria (nam & a legibus discedendi in subitis præsertim casibus leges aliquando potestatem faciunt) sed hora per leges vetita, qua nihil possit in publicum decerni? licet ne quouis loco, vel profano senatum habere? ordinem rogandi sententias, discedendi pedibus consuetudinem in aliquam opinionem; mutandi, inuertendi, frangendi, ad suum reuocandi arbitrium licentiam ne habeat, quæro ex aduersarijs, etiam is, qui publico defungens officio senatus citandi, consulendi, interrogandi, & interponendi decreti potestatem habet? Factum sanè contra rempublicam est illud senatusconsultum, & penitùs inducendum; quod non verbis; sed re ipsa; non in aliquo casu improuiso, & graui; sed in rè, quæ tempus ferret sine iniuria; non communi Patrum omnium consensione; sed priuata paucorum conspiratione, reliqua

omnia

omnia senatusconsulta aperta cum impudentia, per summam imprudentiam dissoluit, fregit, antiquauit. Iniquissima lex illa est, ac delenda penitus: quae ita fuit sancita; vt sanctas reliquas leges omnes violauerit: ita populo proposita, vt non placuerit: ita perscripta, vt ea, quae legibus condendis seruari voluerunt maiores nostri, à quibus discedere est nefas, ante deleuerit: ita in æs incisa, & affixa; vt leges antea conditas, acceptas, & longa rerum experientia comprobatas; siue per inscitiam, siue per audaciam, ac temeritatem refixerit, & conculcauerit. Nulla audita vox in foro est præconis Patres in curiam euocantis ad magistratum: nec vspiam decretum affixum vidimus; quo frequentes adesse monerentur, siue iuberentur senatores, qui conscripti, quibusque in senatum veniendi ius esset, de summa republica consulendi. nam recita, si potes, edictum; aut, si magis placet, profer in medium, explica in apertum, lucemque, ac palam colloca. in quæ verba conceptum est. quæ caussæ allatæ senatus consulendi. cuius nomine euocati Senatores? subiunctane comminatio multæ, pignorisue

capiendi, excusationis non capiendæ? Mitto quærere hoc loco de auspicijs, de sacrificijs, de libamentis, an augures in auspicium missi, an supplicatum thure, & mero, an adoleta suffimenta. mitto ea interponere; quæ antiquis religionem inijciebant, & terrorem, aues non addixisse magistratui, exta fuisse tristissima, litari non potuisse, seruatum de cœlo, pullarium monuisse, non rectè auspicijs operam datam, pullos è cauea non exisse, nec tripudium fecisse solisthimum, aues oscines in aduersos homines occinuisse; & reliqua puerorum terriculamenta; in quibus nihil non summa inscitia, inanitate, impietate plenissimum; nihil non superstitiosum, nihil non falsum, & contaminatum; nihil non explodendum, & cum risu exsibilandum. At quo loco senatus est habitus? nimirum Athenis, vel in Areopago sub dio, vel in regia porticu loco patentissimo. & ista potuit videri curia, senatui consulendo solemnibus ceremonijs inaugurata? nisi si cum campo martio Romanorum, quo loco sæpè consules senatum de republica cõsuluerunt, Areopagum Atheniensium conferas, & ipsum quoque Marti dicatum; ne-

que regiam inter porticum dicas, & Romanorum Basilicas multum interesse; vbi sæpè consederunt Patres: cum vtrumque nomen regium sit, & ad Regem pertinere videatur. Sed illud planè tolerandum non est, de nocte, summis tenebris se intendentibus, senatum habitum ex Areopagi cõsuetudine; quo tempore scìmus optime, quicumque habemus aliquam antiquitatis notitiam, nihil potuisse in publicum decerni à quopiam senatore. quasi esset indecorum, ea in luce, atque oculis ciuium proponere; quæ essent in tenebris constituta. Enimuerò in suspicionem venio, Auditores, non tenuem voluisse illum, quicumque fuit, qui senatum de hac re consultum voluit, fucum inter tenebras nobis facere, & imposturam. Leges nimirum condebat in tenebris: quo tenebras offunderet legibus omnibus antea sanctè constitutis: quas si integras seruasset: integram legem non habuisset suam. Fam sibi spem inanem animo proposuerat, opinor, futurum, vt senatorum paucitas dissimulari posit; ac tenebris inuolui: quam, si Patres ipsi euocati dignoscere potuissent, temperassent sibi certè à decreto faciendo, quamuis essent

ſent cupidiſsimi; quod dubitarent, quin reuocaretur in dubium, atque adeo reſcinderetur in frequentiori ſenatu. Perſonatus ille fortaſſe proceſſerat in curiam: qui cum priuatus eſſet, nec ſenatum poſſet rogare ſententias, ſpeciem quamdam aſsimulatam magiſtratus finxit inani oratione. quam ſimulationem vt tegeret, non aliud opportunum magis oblatum eſt illi artificium; quàm ſi nocturnas ſibi tenebras obduceret: ita vt neque facies, neque inceſſus, neque aliud quidpiam eorum, quæ illum diſtinctè ſignarent, poſſet internoſci. Eant ergo cum decreto illo ſuo tenebricoſo: nec audeant palam in luce, ac ad ſolem collocare. natum in tenebris non feret lumen. Quemadmodum enim noctuæ inter tenebras natæ, in caueas abdunt ſeſe de die; ne luce perimantur, impatientes luminis: ita hæc lex eumdem ſortita, quem noctuæ, natalem, eodem fato viuit, ſi lucem aſpexerit, moriendi. Verùm ſuas noctuas Athenis in patria cariſsima, ſi placet, relinquamus. Auctoritatem interea deſinant illi Areopagi nobis obijcere; vt valeat pro præiudicio: quæ vt magna ſit, vt clariſsima, vt excellens; ſit licet ſumma

ab

ab integtitatis fama; ſit ab hominum cultu ampliſsima, ab antiquitate veneratione digna, à prudentia, à ſapientia ſit illa ſummæ auctoritati proxima: legibus tamen debet concedere, conſuetudinem non vincit, numero poſthabetur ac frequentiæ, populi voluntate, & conſenſione imminuitur, debilitatur, frangitur.

Oratores initio dicendi populi audientiam ſibi facere, iudicum beneuolentiam ſibi colligere Areopago non placet? at placuit Iſocrati: vt eum primum hominem, quem ceterorum omnium magiſtrum eloquentiæ Patrem nominauit Tullius. placuit Demoſtheni, cui ſumma vis dicendi facile conceditur ab omnibus. placuit oratoribus omnibus, qui tum florebant Athenis, florente republica. placuit idem, quod oratoribus, Demetrio Phalereo rhetori; qui, vt alia omnia luculenter; ita in exordiorum præceptis peracutus eſt. Veniamus ad Latinos: quorum vt in ceteris orationis partibus non deſideramus diligentiam: ita ad proœmiorum vel neceſsitatem euincendam, vel confirmandam pulchritudinem, non deſideramus auctoritatem. Marcus Tullius Cicero ſenator eloquen-

tiæ

tiæ laude nobilis: & prudensiæ opibus instructus affatim orator, in ea orationis parte, quam penitus recidendam volunt Areopagitæ, citra omnem ostentationem studium adhiberi iubet, si vnquam aliàs, acerrimum. Quintilianus, cuius dicendi facultatem si non probas in orationibus, sedulitatem in tradendis præceptis facere non potes quin probes; qua arte, quo ordine, qua diligentia ea persequitur omnia, quæ initio ante ipsius causæ enarrationem sunt oratori dicenda? Sed quid singulos commemoro? oratoribus omnibus, & quos Græcia olim tulit, & quos aliquando audiuit Roma, ita placuit: vt sit ferè nemo; qui veluti ante iustum certamen inani pugna vires non experiatur suas; qui non ante sapienter ea omnia prouideat; quæ Auditores possint ab audiendo reuocare; quæ iudices faciant minùs amicos; quæ sibi in causam ingresso moram facere possint, aut valere pro præiudicio. Placuit etiam aliquando Areopagitis ipsis; qui cum Isocratem, ac Demosthenem audirent de re grauissima perorantes: non prohibuerunt ex lege per præconem vti proœmijs: quæ adhuc legimus in

ipsorum

ipſorum orationibus cum eloquentiæ admiratione. vel quòd non auderent tantos viros interpellare: vel quòd eam impoſitam ſibi, & oratoribus à Dracone legem iudicarent iniquiorem. neque enim eæ leges, quæ ſeruantur in Areopago; ex Areopagi conſilio ſcriptæ ſunt: ſed ab vno Dracone, qui primus non ſine ſeueritatis nimiæ nota leges dedit Athenienſibus. Finem igitur iam nunc faciant inſectandi mei: quòd iuuenis nullius prudentiæ, nullius experimenti, nullius conſilij, vel tantum mihi arrogem, atque adeo amem me, ita parui ducam momenti, & nullo habeam loco ſenile iudicium: vt coram viris grauiſsimis ea reprehendere ſim auſus, immò, ſi Deo placet, per ludum, ac iocum euertere; quæ ſenum prudentiſsimorum iudicio ſunt in rempublicam inducta, & diuturna conſuetudine vſurpata. Ceſſent iam exclamare pernicioſum exemplum prodi ſenilis prudentiæ deſpiciendæ. nefarium eſſe ſanctiſsimi ſenatus auctoritatem repelli, impium, inſolens, audax, temerarium. Non eſt, opinor, quòd proſpiciant in poſterum; ne veniat in conſuetudinem hæc tollendarum legum procliuitas:
quæ

quæ ne vnquam ſerperet in ciuitates, legumlatorum errores, principum peccata æquiori animo ferenda credidit vir ſummus Ariſtoteles. Denego enim, & omnino inficior, legem hanc eſſe ex Areopagi officina: ſed illam refero in auctorem ſuum Draconem, qui dum in ſumma ſeueritate iuſtitiam collocat; dum omnia peccata delet ſanguine; dum ſola morte ſuis legibus ſatisfactum vult; dum omnem commiſerationem ablegat; dum prouidet, ne quid detur gratiæ; dum pertimeſcit, ne iudices amore, odio, beneuolentia, inuidia, minis, beneficijs abducantur à recto; dum cauet, ne verbis circumueniantur: ita omnem exuit humanitatem, in omnem recidit feritatem: vt nihil habeat in ſuis legibus, quod hominis ſit, nihil mediocre, temperatum nihil. Faceſſat hinc igitur cum ſuis legibus Draco, non atramento ſcriptis, vt aiebat ille, ſed ſanguine; ſed ille ſuæ crudelitatis crudele ſanè præmium retulit populi tumultu præfocatus. Eos miror, qui hanc audent legem ſuadere, cuius probant inſtituta, ſi non exitum in hac audientia humaniſsima, ſaltem ignominiam non perhorreſcere.

Venio

Venio potiùs ad alteram orationis meæ partem; cuius initio decantatas illas oratorum conquestiones non habeo repetere sibi horam effluxisse ignaris: totos ita se effudisse in ijs explicandis, exornandis, exaggerandis, quæ occurrerunt prima: vt non possint ex sua eloquentia, & mente de secundis, & postremis dicere, cum verborum ornatu, argumentorum amplificatione, ad audientium voluptatem, pro ipsa rei dignitate. Essent enim hoc loco accuratè repetendæ, & exquisitè omnes eæ caussæ; quas habere possint oratores exordij apponendi, demonstrandumque tantam interdum ijs necessitatem imponi alicuius ad causam insinuationis: vt minori cum periculo aliquam aliam orationis partium, vel prætermittere, vel negligere, vel obtruncare possint: quàm orationem ordiri ad populum eius rei penitus ignarum, quæ agatur: disceptare apud iudicem, nisi priùs rei summam breuiter exposueris, aut si animo alienior sit; non ante conciliata beneuolentia: perorare in senatu non cum aliqua excusatione, sedentibus interim ad audiendum hominibus nobilissimis & summis; quibuscum neque ætate,

neque

neque prudentia, neque authoritate ſit orator fortaſſe comparandus. Nam illud optimè ſcio, me in rebus celebratiſsimis omnium ſermone verſaturum fore: eaque quæ dicturus eſſem notiora futura vobis omnibus in hac arte exercitatiſsimis: quàm mihi; qui nuper in limine pedem figo; ac apertiſsimè intelligo, orationem meam ſumma cura vel minutiſsima quæque perſequentem, numquam tamen ſcientiæ veſtræ ſatisfacturam.

Ecquis enim eſt, qui, arte rhetorica per tranſennam ſalutata, neſciat, oratores nanciſci ſæpè cauſas inuolutas, & multum habentes caliginis; aliquando controuerſas, & quæ animum ancipiti diſtrahant cogitatione; honeſtas vt plurimum, non raro ignobiles, & abiectas, quibus & prima facie aliqua ſit coniuncta turpitudo; interdum admirationem facientes, ſiue quòd magnæ, ſiue quòd atroces, ſiue quòd nouæ: in quibus omnibus oratori ſit neceſſarium, vel ea ex cauſa prægustare; quæ Auditorem ducant in rei notitiam; vel in ſuam partem optando, deprecando, abhominando, rogando eos trahere, qui adſunt ad iudicandum, probandum, deliberandum; vel ipſam rei honeſtatem

tem palam explicare, vel causam satis demissam erigere, ac illa turpia integumenta, quæ illá aliorum obijciant contemptui veluti per vim eripere; ipsam demum admirabilitatem imminuere; quæ vt aliquando emolumentum affert: ita sæpè cum inuidia, & quadam aliorum offensione coniuncta præiudicium causæ facit iniquissimum. At hæc in ipsa causa sunt inclusa penitus, & ita illi adnata, vt diuelli non possint. ex ijs porrò, quę extra causam sunt, cum ipsa tamen coniuncta quanta nascitur seges ne dicam an necessitas exordiorum:

Dicturus pro Flacco Cicero, pro socio, atque adiutore consiliorum, periculorumque suorum in eijciendis Catilinarijs; non eius temporis memoriam vsurpet exordio: cum rempublicam ex flamma, atque ferro, ac penè ex faucibus fati eripuit, cōseruauit, restituit? Deprecaturus à Cæsare Deiotari famam, & vitam, insolentia loci non commoueatur? quòd tantam causam de capite, fortunisque regis olim populo Romano coniunctissimi, & sæpè laudati, accusantibus fugitiuo, & nepote Castore intra domesticos parietes extra populi conuentum, & frequentiam, quæ

solent

ſolent oratorem excitare, peroraturus ſit? Exerceatur iudicium Cælij tēpore maximè importuno & à iudicijs remoto, diebus feſtis, ludis publicis; omnibus negotijs alijs forenſibus intermiſſis: & non amoueat omnem à Cælio ſuſpicionem, vel excitatæ ſeditionis, vel obſeſsi Senatus armatis, vel vis allatæ magiſtratibus, vel oppugnatæ reipublicæ; de quibus ſolis criminibus quæri quotidie iubebatur? Noua iudicij forma, veteri conſuetudine fori, priſtinoque more iudiciorum ſublato pro Milone fortiſsimo viro dicturus, armatorum frequentia ſtipatus, corona militum cinctus: in exordio eloquentiæ, ac orationi ſuæ animos non faciat inter arma penè obmuteſcenti? certè ſi nō ipſum exordium illa eadem arma conterruiſſent (vt ſic loquar) è cauſa tam bona. non cecidiſſet Milo. Reum facturus Cicero profeſſus antea neminem à ſe accuſandum, niſi aliqua laceſsitus antea foret iniuria, Verrem; hominem pecunioſiſsimum deferat ad iudices, de quibus cā iam inueterata Romæ pernicioſa erat opinio, & apud exteras nationes percrebuerat, eorum iudicijs diuitem hominem quamuis ſit nocens neminem

nem posse damnari; audacem tertia iam actione respondentem; summum habitum imperatorem in ea vrbe, quæ armis imperium sibi terrarum orbis peperisset; defendente Hortensio, qui tum fori tenebat imperium; Quinto Cæcilio repugnante, qui se eius causæ faciebat actorem: dicat nihil de immutato consilio; judices de mala ipsorum fama non admoueat; Verris audaciam non execretur; Hortensij eloquentiam non infringat; Quintum Cæcilium à causa non abducat; non præseferat illud se scire concedendum aliquid summis Imperatoribus, ne incurrat in inuidiam populi Martis filij? quæ omnia in quam orationis partem sibi reseruet, si non exordio profligauit? Succedat orationi Cnei Pompeij viri clarissimi: dissuadeat legem agrariam populo gratissimam contra ipsos tribunos plebis, à populo ceteroqui malè audiens; etsi benè auditus cum laude: Quintij causam suscipiat adolescentior, sedentibus, ac tacentibus viris alijs grauissimis Quintio amicis non minùs: suadeat legem Maniliam, cum numquam alias ante ascendisset in rostra: redeat reuocatus exul postliminio, & Senatui gratias adornet.

Ar-

Archiam magistrum suum iniquè expulsum in Romanam iterum reponat ciuitatem: interroget Vatinium, quem non magis ipse, quàm virtutes omnes odio oderunt Vatiniano: verba faciat pro Rabirio, consul pro priuato: Murenæ de lege ambitus postulati, quam ipse legem tulerat, patrocinium arripiat: reuersionem è Græcia faciat in patriam præoccupato tempore, quod antea constituerat, & prædixerat: eat in Senatum, & sententiam rogatus, quid de republica censeat, proferat cum libertate: dicat nihil de se, de mutata ratione nihil? inconstantis animi notam non diluat? expectationi auditorum non occurrat? admirationem non tollat? si quid factum videtur audaciùs, excusatione non purget? nouitatem rei aliqua ratione non subleuet? mentem non exponat suam? causas non enumeret omnes singillatim, amicorum preces, reorum in se promerita, totius populi conquestiones, rei ipsius vtilitatem, honestatem, atrocitatem, necessitatem? neque ea prætermittere liberum Ciceroni fuerit homini; qui nihil eorú negligeret, quæ haberent aliquam cum causa coniunctionem: neque ipsis

ipsis auditoribus, vel minimè curiosis, & maxime occupatis rem faceret meo iudicio gratam; qui de ijs volunt primùm edoceri; quæ incurrerunt in oculos, ac mentem prima: neque vlli quispiam orationi viam faciet ad causam interiorem, non ijs de medio sublatis, quæ sese obijciunt in itinere; non omnibus ante superatis impedimentis.

Vident id ipsi opinor, Areopagitæ, si non omnino propter illam suam seueritatem bardi sunt, ac stupidi, neque illud possunt, vel maximè peruicaces inficiari; oratori esse opportunum exordium; neque contemnendas inferre causæ vtilitates: Quamquá animo affirmare perseuerant obstinato in illo ad causam aditu, & vestibulo flexuoso nó minùs, quàm ornato, insidias æquitati comparari, veritatem implicari, auditores ad eloquentiæ admirationem, ac laudem abduci ab argumentis examinandis, momentoque suo ponderandis. Malæ, ac profligatæ causæ ea quæri præsidia. bene ante actorum memoriam, animi ornamentorum enumerationem, omnium expectationem, amicitiarum, & consanguinitatum commemorationem, grati animi pro-

 mis-

missionem, ostentationem modestiæ, de suo ingenio sentientis humiliter, venditionem prudentiæ, ijs singillatim excusandis, quæ possint illum in auditorum reprehensionem induere, simulationem timoris, quò subleuetur ab audientia: nimirum vt ijs rebus adducti constituant iudices, quem absoluendum, quem damnandum velint priùs, quàm de crimine quidquá perceperint; cuius probent sententiam, quem laudent, quem in vituperationem adducant priùs, quàm argumenta orator exposuerit, & rationes: neque causam definiant ex legibus, sed ex voluntatis affectu; non considerent quid sequantur, sed cui assentiant; non intueantur in laudando facta, & vitam, sed eloquentia impelli se permittant, ad omnem speciem credulæ adulationis. Nil aliud sanè velle oratores, inquiunt; dum laudant eos, quibus velint persuadere; dum monent, ne quidquam faciant, quod suæ ipsorum famæ possit obesse; dum omnem spem suam in eos proijciunt; dum nihil se vereri iactant magnificè; quod agant apud viros, quorum sit maximè nota prudentia, de quorum æquitate dubitari non possit; dum causam cum ijs commu-

nem

nem faciunt; dum suorum in eos promeritorum simulatè interdum, aperta etiam aliquando cum exprobratione memoriam vsurpant; dum contra præclarè se meminisse indicant, quantum ipsis aliàs debuerint, gratique profitentur; nihil aliud velle, inquiunt: quàm in auditorum amicitiam se insinuare, vel veterem resarcire, & confirmare, vt vel necessitudinis leges infringere cogantur, vel ab æquitate discedere: & inducant, potiùs vt peccent contra omnes reipublicæ leges, quam leges amicitiæ dissolutas velint. Timere, illos quidem sæpissimè initio dicendi non eloquentiam, non gratiam, non potentiam aduersariorum, quemadmodum simulant; sed vim veritatis: contra quam quia manifestè, ac palam ire non possunt: aliam, atque aliam afferunt metuendi causam, vt se commendent auditoribus, in inuidiam adductis aduersarijs. cum & natura impellamur omnes ad eorum commiserationem, qui videntur imbecilliores; honestumque sit eas sibi partes tuendas suscipere, quæ hominum nefariorum dicendi facultate, authoritate, viribus iniquissimè opprimuntur. Ceterum in ijs comme-

morandis, quæ quamquam in omni actione reperire necesse est, nihil omnino tamen ad ipsam pertinent, temporis inanem impensam fieri: illudque solum quæri, vt cum ad causæ caput accesserit iam orator, ita mentem rebus inanibus occupatam habeant auditores: vt quantum quæque valeat ratio disquirere, ac examinare non possint diligenter. In summa vt breuiter faciant, in proæmia inutiliter tempus impendi concludunt, præsertim apud homines rebus occupatos grauioribus: vel exordium inane orationis esse ornamentum serijs viris contemnendum penitus: vel proæmio sibi audientium gratiam aucupari velle oratores: quod apud Iudices religiosos, & integros in bona causa inane est, ac superuacuum; in mala & inutile, & iniquum, cum nihil illi gratiæ permittendum putent, precibus, & obsecrationibus non cedendum; sed omnia ex veritate æstiment, ac æquitate; delectu semper aliquo, & sapientia ducantur ad iudicandum.

Eripiebas nimirum ex negotijs consuiaribus, aut ex libris originum tẽpus ò Cato; quod posses ante suadendam legem Oppiam in conque-

stiones

ſtiones illas de matronis grauiſsimas impendere? quid enim iſta omnia ad eam legem ſanctè, integreque retinendam; quæ inania ornamenta mulieribus interdicebat? adſunt Aequi armati ad Romana mænia. & tu Titi Quincti Capitoline Romanorum Conſul ita tempore abuteris: vt Aequorum imbecillitatem modò vix Hernicis parem, & tuos anteactos ternos conſulatus cum honore commemores ad populum arma retractantem: & non potiùs accendas exemplo, quàm verbis? Galli Romæ potiti Capitolium, & rupem Tarpeiam obſident; ijs, qui defendunt, pene enectis fame; aurum iam penditur cum ignominia ad Romam redimendam. tu interim Camille vrbis motus excidio Ardeatium manum colligis, gratum ingratæ patriæ ſubſidiū. placet. ſed feſtinato eſt opus. ſuperſedendum tibi eſt in tua iſta benè longa, de Roma liberanda exhortatione, verborum multitudine, & ijs, quæ ab Ardeatibus ante acceperis beneficia, enumerandis, gratijsque referendis. Eamdem ſubiret notam Appius Claudius; qui cum perſuadere vellet militibus; vt hyberna ſibi poni permitterent ad Veios; non ante ea,

quæ sibi essent dicenda protulit: quàm in tribunos ipsos tumultuantes multa conquestus esset grauissimè. Fabius ille Maximus inimicitijs nimirum priuatis ducebatur; qui cum Lucium Aemilium Paulum de ratione belli cum Annibale gerendi erudiret in Senatu: multis priùs Varronis collegæ audaciam, ac temeritatem prosequutus est, si credimus Areopagitis, inaniter. Neque non gratiam iudicum aucupari voluisse, ad opprimendam iustitiam, conuinceretur dictator Menenius accusatus repetundarum: qui de causa paucissima, vti res ferebat; plura dixit ad populum de anteactæ vitæ innocentia, de eo munere, quod sibi nuper imposuerant, dictatoris. Cum his amplissimis viris, & alijs sexcentis, quos enumerare possim, quibusq; ab ijs exordiri placuit, quæ extra causam essent, quid dubitatis vos etiam sentire Auditores, & orationem omnibus suis ornamentis iniquissimo iudicio ne dicam, an latrocinio expoliatam in suam pristinam iterum dignitatem restituere? neque enim Senatum illum ampliùs dicam; in quo nihil fuit eorum, quæ pertinerent ad Senatum; sed aliquod potiùs iudicium licet ini-

iniquiſsimis legibus conſtitutum. ad quod cum orationis nomen delatum eſſet, accuſata in multis liberiùs, & falsò ipſis iiſdem iudicibus, actoribus, ipſis teſtibus, quod legibus prohibemur, omnem ornatum iuſſa eſt deponere: inhibitumque, vt, quod etiam barbaræ nationes hoſtibus concedunt, iudicum miſericordiam imploraret, preces adhiberet, recenſeret ſua promerita, legum ſanctiſsimarum decreta obteſtaretur. O barbariem vel priſcis illis temporibus pudendam, quando, vt eſt in fabulis, homines inhumanitate vel ipſas feras ſuperabant; qui tamen orationis precibus, atque adhortationibus ita ceſſerunt: vt in ciuitates coacti vitam homine dignam inſtituerint; eamque, ad quam nati erant, & à natura inſtructi, ſeruauerint coniunctionem, & humanam communitatem. O rem vel ipſis belluis immaniſsimis execrandam; quas tamen ſcimus cicurari blandimentis, & inflecti poſſe miſericordia.

Perfugium ergo habet ad vos miſera oratio, illa eadem, qua homines tantopere gloriamur, hac vna ceteris animantibus præſtabiliores: illa, qua vtimur interprete ad mentis

tur. ingenua enim eſt, ac ſimplex, mendaciorum, quam dici poſsit, inimica: ſed ſuum negat ita quoque alias diſciplinas integras ceteroqui ad ſuas fraudes inuertiſſe ſcimus homines veteratores. Ita ne igitur ex illa oratione quæ duas olim maximas reſpublicas moderata eſt Romanam, & Græcam; quæ toto terrarum orbe peruagata miſcuit omnia, & conturbauit: ex illa animorũ domina, voluntatum regina, animi perturbationum moderatrice: capite auulſo truncum referet ſine fama, & nomine corpus, miſerum antiquæ maieſtatis monumentum? Defendite vos, quibus optimè perſpectum eſt, quantùm valeat in omnem partem aliqua præfatum eſſe, ab alienis criminibus orationem; & hanc ignominiam per ſummum illi dedecus inuxi nolite pati: neque vobis minùs honorificum putatote, veſtra opera, veſtris decretis iniquiſsimum ſenatuſcõſultum, legem ſuperbiſsimam inducta eſſe, ac deleta: quàm ipſi orationi turpe fuiſſet futurum, quoties prodijſſet in publicum, non in roſtra cum ſuis ornamentis, ſed expoliatam ac nudam in cataſtam aſcendere, ſupplicio mulctandam capitali.

efficitis, & admirationes populares: &, quod vos, omnesque sano iudicio viri pluris faciant, ita flectitis animos audientium, & in quamcumque partem placuerit nulla penè difficultate conuertitis. Deprecatur illa, vt sua sibi reddi velitis, ac iubeatis ornamenta: quæ dimittere sibi existimat iniuriosum cum ceteræ artes ad necessitaté ornamétorum quoq; accessionem adiungere permittantur. Non in ædibus, nô in vestibus, non in toto instrumento domestico ea repudiari, quæ nullam habeant necessitatem; sed vni oculorum seruiant oblectamento. immò neque in arte ipsa militari, maximè ad se tuendum inuenta, quæ omnem respuere lucem, & leuitatem debeat, militem non castigari si plumas versicolores addat ad galeam; si loricæ aurum superinducat, & sericam chlamydem; si gladio vtatur, qui non solùm cædat, sed fulgeat, & caput habeat sigillatum; si lacinijs, & lemniscis arma determinet; si nô vna firmitate laterum, & corporis, & arma tractandi peritia, sed etiam magnitudine, ac mole, benè capillatus, supercilijs remissioribus, frontis contractione, labijs adductis, & protensis, sono vocis absono ante

ſcipulis meis opportunæ taciturnitatis: pignus mihi diſcipuli ſic repræſentabunt adhibendæ ad ſubſequuturas in poſterum ſcholas audientiæ.

Audimus enimuerò ab ijs, qui ſe puros, ac putos dici amant Peripateticos, perfidi Ariſtotelis deſertores: muti Ariſtotelis ſatellites audimus ab alijs, qui ſe in libertate opinandi natos, aut cum eadem, aut in eadem deierant morituros. vrgemur ab illis minutiſsima ſingularum vocum, ac litterarum Ariſtotelis explicatione; quòd ijs vnis ſit alligata veritas: irriſione partis excipimur alterius; quòd non omnis rerum natura dimenſa ſe fuerit ad paſſus peripateticos. ſomniare credimur; quòd ſomnijs Ariſtotelis veritatem conciliare laboramus inaniter: aberrare dicimur, quòd alia via, per quam non deambulauit Ariſtoteles, vagi graſſamur ad veritatem. Sed præſtat eos audire pro ſua quemque parte diſputantes: quemadmodum non ante multos dies in familiari, ſed erudito colloquio mihi contigit: cum me inauguratum philoſophiæ magiſtrum in ſuam trahere ſententiam vnuſquiſque nitebatur.

Vacui opinor eſtis(diſſerebat mecum



Inſiſtendum veterum veſtigijs, ac præſertim Ariſtotelis in rebus philoſophicis;

Sed non in ijs ſiſtendum eſſe.

PROLVSIO
AD SCHOLAS PHILOSOPHICAS



PHiloſophiæ tractandæ rationem, quam noſter à primis exordijs, & ad hæc tẽpora ſeruauit ordo, ſæpè, ac attentè contemplatus ad ſequendum: dolui equidem quæſitam in temperamento Ariſtotelicæ auctoritatis cum argumentorum vi omnium approbationem, vertiſſe nobis;

idest intra puræ auctoritatis fines coërces? ridiculum profectò sit grandæuum hominem suis valide insistentem pedibus, & benè loquentem, per pueriles delicias abblandientis nutricis vestigia passibus malè firmis relegere, & obsecundantem maternis nænijs ad vbera balbutire. I, lictor, obstringe alienis opinionibus quasi seruam vinculis philosophiam; quæ sua ingenuitate ipsam possit seruitutem, si quis idem philosophetur, & seruiat, restituere natalibus. Regiam rem esse philosophiam quis inficietur, cuicumque animo insederit? Quæ igitur ista est animi abiectio, cum tu dominari possis, alium ingenio, manuque iuuare ad doctrinæ principatum; qui non tàm ambitur, quàm petitores ambit, publici iuris expositus omnibus, & nulli raptus, cum ab vno maximè occupatur. Germaniæ vtriusque ciuitates (de ijs loquor, quas fallax infecit religio) magnum aperuere secretum libertatis, litterariæ præsertim reipublicæ, & alijs, quibus obtigit libertas sine perfidia: scilicet posse coniurari ad eam publicis armis tuendam in legum, ac morum dissimilitudine, & qui fortissimus alioqui est nexus in super-
stitionis

ſtitionis diſparitate . In tenebrionibus, ac tenebrarum filijs prudentiam, ea, quæ lucet in tenebris hominum, lux, lucis filios condoceſecit admirari. Quid igitur vetat hoc exemplum transferre ad nos ; vt reiecto vnius principatu , qui proximus eſt tyrannidi, viuat vnuſquiſque legibus , & opinionibus ſuis, facta tamen conſpiratione mutui auxilij ad libertarem communem, & ſingulorum tuendam? Erigite vos magnæ animæ (ſic enim adulationis fucum transfugij turpitudini ſuperinducebat ad ſuadendum) & ſpem præcipite libertatis. vt laudanda ſit aliorum induſtria: veſtra tamen præſertim ope Italiæ reſtituta exul ſapientia, vel certe veriùs reginæ ſapientiæ de ſuo regno deiectæ veſtris armis recuperata eſt prouincia nobiliſsima : cur vobis quoque præeuntibus homini Græco in ſeruitutem mancipata, dicit in extera verba ſacramentum? Scio equidem per diſsimulationem apud vos multa tranſigi; & verecundæ iuuentutis rigido reſpectu ad ſeueriores ſenes, ad eorum arbitrium confici à vobis profeſsionem veritatis. Oderit hæc quiſquis veritatis eſt amator ingenuæ: audiat hæc quiſquis magno animo

est ab ingenij præsentia, non perijt pudor, non perijt: si dubitem rectè nec ne opinata sit antiquitas. illa etiam nobis adeo venerabilis suos patres arguit falsitatis. Hoc ipsum consilium ab omni capite, ac auctore descifcendi, auctorem quærit, & caput: multi sequentur vnius audaciam; multi, qui nunc per summum timorem hoc vnum habent, vt doleant, quòd vnum sequi cogantur. libertas vt principium habere debet, ita & principem, tanto laudabiliora, quanto à principatu remotiora. liberi esse recusatis? nihil vobis permittitur medium. seruiendum vobis est animæ viles, & quod in omni malo pessimum est, vestra voluntate.

Ego verò neque laudibus fractus, neque prostratus contumelijs, aut obsecrationibus victus, acerrima respóssione lacessebam sic amicum aduersarium. vt sibi per me viueret, qua vellet libertate, deposita quam pro me gerebat cura: mihi verò recessum esse non posse ab Aristotele sine perfidia; cum perfidia esse non posse ad salutare consilium. Illæ ipsæ sint exemplo ciuitates Germaniæ: quarum conspiratio in libertatem rem per se bonam, varietate pessima

ma religionum non frangitur : quia procul sunt omnes à veritate vnitatis optima conciliatrice : mihi mea seruitus ingenua, alijs sua effrenata libertas. seruire optimo principi tutum : cum libertate sæpe cognominem conspirare libidinem. principatum non esse in consultatione. cuius saltem vmbram aliquam sectentur conuentus omnes; sed principem, qui deterior esse posit, ac melior. hanc etiam aleæ plenissimam cogitationé nobis ademptam, quæ est felicitas hominum suam voluntatem redonantium Deo, per alios homines donum acceptanti, & imperium exercenti. Quanta, & quàm multa porrò bona ex hac voluntaria subiectione deriuentur in nos, enumerare quis possit? scilicet spolijs Aegyptiorum, apud quos nata est hæc de naturis rerum scientia subobscura, nundinari cœlestem Ierusalem, idest ex ipsa nominis notione visionem perfectam rerum humanam excedentium intelligentiam, mercatura cui non videatur nimis quæstuosa? Hanc sola respuat decoctorum in ementitæ laudis mercibus prodigiosa prodigentia. Nec tamen tibi persuadeas confessionem hanc esse ab animi sensu dissidentis

fidentis linguæ defenſionem accerſitam . ab imperio maiorum,cuius multiplicibus emolumentis præponderetur iactura omnis, aut etiam proditio veritatis in philoſophia . quaſi in alias, atque alias eſſemus opiniones abituri : niſi vinculis obedientiæ detineremur in ergaſtulo alienæ auctoritatis. Vt obduruerint quidem aures obſequentium ad omne præceptum: non ideo tamen ferreum os fuerit legislatoribus noſtris ; vt imperium onerauerint appendice grauiſsima carminis Midæ vnius auribus bene accinentis.

Sic volo , ſic iubeo ; ſit pro ratione voluntas .

præſertim cum apud intellectum res peragatur , qui voluntati libertatis auctor, & arbiter libertatem non habet , vnicæ , ac indiuiduæ veritati vel ſua cum laude ſubiectus , vel ſolis argumentorum vinculis captiuus. Quod igitur fuerit noſtrum conſilium in Ariſtotele acriter ſequendo ſic accipe . Ille nimirum nobis è vita priuata euectus ad amplitudinem imperij , quibus artibus dominatum obtinuit , iiſdem tuetur ; rationum vi , argumentorum pondere ; altercantibus coram ſe audientia ad vtriuſque partis

ma religionum non frangitur : quia procul sunt omnes à veritate vnitatis optima conciliatrice : mihi mea seruitus ingenua, alijs sua effrenata libertas. seruire optimo principi tutum : cum libertate sæpe cognominem conspirare libidinem. principatum non esse in consultatione. cuius saltem vmbram aliquam sectentur conuentus omnes; sed principem, qui deterior esse posit, ac melior. hanc etiam aleæ plenissimam cogitationé nobis ademptam, quæ est felicitas hominum suam voluntatem redonantium Deo, per alios homines donum acceptanti, & imperium exercenti. Quanta, & quàm multa porrò bona ex hac voluntaria subiectione deriuentur in nos, enumerare quis possit? scilicet spolijs Aegyptiorum, apud quos nata est hæc de naturis rerum scientia subobscura, nundinari cœlestem Ierusalem, idest ex ipsa nominis notione visionem perfectam rerum humanam excedentium intelligentiam, mercatura cui non videatur nimis quæstuosa? Hanc sola respuat decoctorum in ementitæ laudis mercibus prodigiosa prodigentia. Nec tamen tibi persuadeas confessionem hanc esse ab animi sensu dif-

sidentis

ſidentis linguæ defenſionem accerſitam. ab imperio maiorum, cuius multiplicibus emolumentis præponderetur iactura omnis, aut etiam proditio veritatis in philoſophia. quaſi in alias, atque alias eſſenius opiniones abituri: niſi vinculis obedientiæ detineremur in ergaſtulo alienæ auctoritatis. Vt obduruerint quidem aures obſequentium ad omne præceptum: non ideo tamen ferreum os fuerit legislatoribus noſtris; vt imperium onerauerint appendice grauiſsima carminis Midæ vnius auribus bene accinentis.

Sic volo, ſic iubeo; ſit pro ratione voluntas.

præſertim cum apud intellectum res peragatur, qui voluntati libertatis auctor, & arbiter libertatem non habet, vnicæ, ac indiuiduæ veritati vel ſua cum laude ſubiectus, vel ſolis argumentorum vinculis captiuus. Quod igitur fuerit noſtrum conſilium in Ariſtotele acriter ſequendo ſic accipe. Ille nimirum nobis è vita priuata euectus ad amplitudinem imperij, quibus artibus dominatum obtinuit, iiſdem tuetur; rationum vi, argumentorum pondere; altercantibus coram ſe audientia ad vtriuſque partis

tis raucedinem benignè præstita; disputatione secú ex æquo concessa; in sua ipsius effata inquisitione per summam modestiam permissa. Ad quodcumq; nouum effatum, ad quamcumque nouam hominum accessionem redorditur sui principatus initia, & singulorum suffragia noua veterum argumentorum inculcatione videtur ambire: vt nulla diuturnitate mutari posit in superbiam; & nobis nulla sit facta libertatis iactura, quæsito principe per singulorum electionem; quæ optimum à se inuentum gloriatur, integro cooptandi iudicio, antecedentium prærogatiua tantummodo monstratum.

Hæc ita disputabam ad auersioné ictuum, quibus in me vno infirmiori fraudulenter impetita fuerat nostra philosophandi ratio: &, vt non omnia prouidentur in momento, aperto adhuc fortasse latere aliqua ex parte vulneri: nec ignarus sum, quia consilium capiendum fuerat in arena, repercusiones meas extra artem multas, & irritas cecidisse. cum improuisus à tergo adoritur me hostis ex ijs, quibus supra omnem mortalitatem sacrosanctum est Aristotelis nomen.

Quæ

Quæ ista increpuit est ingenij procacitas, in Aristotelis oracula inquisitionem integram tibi esse velle, ac immunem? Gloriosus ille titulus, quem ex solito tui ordinis scholis affinges tuis, vel assinget veriùs imposita à maioribus necessitas, non mihi faciet imposturam; quam tua detexit incuria non omnium ex more prouida; dum nimis vrgetur in alteram partem inscribentur illæ quidem Quæstiones in Aristotelis organum. inquisitiones volebas tu intelligi accusatorias in Aristotelis logicam: vt ita per vocis ambiguitatem, & animo faceres tuo satis, & auctoritati alienæ. Aristotelis nomen cum maiestate pronunciatum de suggesto, perinde tibi erit, vt video, ac officinis appensa deformia quædam oscilla, indicium prætereuntibus laruas ibi confici bacchanales. sed nos tuis tibi manibus hanc detrahemus personam, gnari de cauponæ fenestra pendere sæpè huiusmodi signa cum inscriptione mendacij, venale proponentis generosum vinum, & modico pretio. Ita ne nos hebetes tibi simus, ac toti plumbei, vt nobis vendites pro peripateticis tuas istas disputationes; in quibus addi-

tamenti

tamenti locum occupat, in angulo latens. siue ad explendam lacunam, siue ad ornamentum, Aristotelis aliquod pronunciatum? siue, vt aliquis ei nomini sit honor, primo loco in ea, quæ aduocari solet ad instruendam pompam turba philosophorum? ita tamen vt non propterea vitium fecisse tuam sententiam putes, auctoritati non innixam Aristotelis? sed subsidet interim fundamentum. quod in labente solo, vt leuissime dicam, ingenij leuissimi tua iecit temeritas. Adeste magna illa nomina veteres Peripatetici, & si aliquis bibliothecæ supplendæ est amor, scripta huius hominis electissima vestris subiungite commentationibus. facta enim sunt omnino ad mentem Aristotelis: quæ fuit aliquando nolle comprehendi. erit id etiam pro redhibitione officij, quo vestris illi parcunt libris, ne cariosi corrumpantur omnino: vix enim vnus, aut alter est istorum hominum, qui mentem Aristotelis in vestris commentarijs expiscari dignetur. nisi vobis videatur honorificentius, esse vos ijs, quod pueris prætiosioris texturæ vestimenta sunt, in vsum reseruata pomparum, ac feriarum celebritates. O egregios Peripateticos

teticos, à quibus in suo cubiculo cōmentantibus miserè vapulat Aristoteles: si quando, vt est naturæ à secretis, loquitur occultiùs: & in publicis disputationibus, tamquam cereus homo miserè detorquetur in diuersàs partes: si quando non ad ipsorum sensum loquitur; & vt magnum esse solet subitis casibus ingenium, leuissima eluditur interpretatione. quòd si refragetur ei interpretationi aliquis veterum expositorum vt ætate: ita sententijs Aristoteli proprior, nihil curant: quia scilicet veterum philosophorum monumenta, litteris expressa Gothicis, ac rudioribus, fastidium creant delicatæ eorum ingenij mobilitati. Collatione loci alterius malæ arguuntur interpretationis? asylum sibi aperuerunt in vulgari loquendi vsu, aut in veterum opinionibus, ad quam normam sæpè se componit Aristoteles. Intercluditur inane hoc effugium? culpa transfertur in librarios, & priscos librorum corruptores, eius accusationis siue absentia, siue callo obducto securos. Græcæ vocis erratur ambiguitate, quam eius notio soluet? græcè nescitur, & latinus quilibet interpres casu, quo sæpè deterrimus, non

electione consulitur. Dictum aliquod tamquam Aristotelicum laudarunt; quod nuspiam apud eum auctorem sit, aut non laudato in libro, aut nō eo sensu, quem & praeeuntia produnt, & subsequentia? offenderat eodem in loco alter eiusdem farinae Peripateticus: nec agi rea potest huius hominis diligentia, quae vbi nulla est, errare non potest. facilitas credendi; scilicet animi leuitatis malae matris pessima soboles, turpitudinem apud ipsos non habet: & coecum hominem offendere, cane prolabente duce, quae culpa sit? Quot libros de quapiam materia confecerit Aristoteles, scire te per interrogationem dissimula: index consulitur; qui ex more illicium negligentiae praeponi voluminibus solet. Legitimus aliquis sit an suppositius magni philosophi nomine inscriptus cōmentarius, mitte in domesticum sermonem: aliorum audient vtinam patienter testimonia: rem ipsi suis examinare coniecturis incuriosi, styli Aristotelici inexperti, patrem nec de facie norunt: membratim, vt vrgebat occasio, recognouerunt; perlustrare ad calcem à capite totum numquam fuit patientia, Nobilis partitio-

nis

nis operum Ariſtotelis ratio ſi diſquiritur, qua cenſentur alia in exotericis, alia in acroamaticis: mirum ſi ſupercilia non eleuent ad noua vocabulorum monſtra, & aures non arrigant? In ſumma verè, planèque Peripatetici ſunt, per Ariſtotelis philoſophiam, quaſi per ſapientiæ lycæum, leui gradu peruagati, deambulantium more ad opſonandam famem.

At ego quo me verterem, prouerbij memor; nec Herculem contra duos? Vterque, cetera mutuò aduerſarij, coniunctis odijs conſpiratis in nos, quaſi in communem hoſtem. at non deijcitis. abſit verbi veritati iactantia. vicimus. Habet reus omnis hoc timoris incuſſi ſolatium, vt vincat ſi non conuincatur. actor omnis bis proſterni poteſt; primò ſi redarguatur, & cadat: tum ſi, crimine non probato, non cadat reus. Vicimus, inquam, vnico certamine, vicimus duplicem de duobus hoſtibus victoriam. Multiplicibus hoſtibus circumueniri; peti è diuerſo: in contrarias partes acriter vrgeri, pericula in bello; triumphi amplificatio in victoria. Floreat, & vigeat in alijs accademijs ſapientia: magni tamen

vigoris plena habitat quoque apud nos. Testis mihi sit ingens multitudo, quæ se vertente anno litterario in Gregorianum hoc gymnasium effundit ad scientiæ disciplinam. Ex tam multis, in quibus me nominatim arguis; vix vllum est crimen excusatione purgandum: pleraque amolietur aperta inficiatio. Nos quoque, ferulæ manum subduximus cum vtilitate non pœnitenda; vt in græco auctore græcissare possimus. Attriuimus & nos euoluendis veterum Peripateticorum libris extremas digitorum pulpas: & in litteris minutissimis, & in compendijs vocum dispendium fecimus oculorum. Possumus & nos (sed nulla fit vtilitate) de caractere dicendi Aristotelico disputare, de eius librorum varietate, ordine, partitione, alijsque eiusce modi, quæ petita videntur ex altiori eruditione: ijs omnino, quibus ea non fuerunt obuia in libris, & quidem nostri ordinis hominum penè dixerim putidè pertractata. Peruadendæ tibi sunt priùs nostræ bibliothecæ, quicumque postulas actionem in nos; ne mendacij conuictus, crimine falsi cōdemneris, aut inuidentiæ; quæ necessitudinum omnium corruptela ra-

rò

rò veritati conciliatur : neque enim legitimam excusationem inuenies in ignorantia aliorum decepta obrectationibus, prona, vt solitum, credulitate acceptis. Ideo ne tibi Peripateticus non sim, quia super Aristotelis libris grammaticam non profiteor; cuius est singulas voces, ac historiam relegere veterum factorum, ac dictorum? Ideo ne tibi Peripateticus non sim; quia vim Aristotelis argumentorũ, examino, & hominis admiror perspicacitatem nihil non cum ratione dicentis? Ideo ne tibi Peripateticus non sim; quia friuolis quibusdam in Aristotele superstitiosa non insisto diligentia? quam non amabat diligentiam Scipio, negligentiam vero nomine dicendam in grauioribus. Peripateticus tibi non sim: quia præter Aristotelis codicem mea quoque afferam in classem scripta? quia credulo mihi alienæ diligentiæ semel, aut iterum somnus obrepserit in locis Aristotelis laudandis non ex insignioribus? quia meas disputationes totas quantæ quátæ sunt vnum non occupat Aristotelis nomen? faciendum id profecto magno laboris, & scripturæ compendio. Quia demum non in solo

Aristotelis puteo veritatem hausi, nouis effossis à recentiorum sagacitate in solo, quod ipse non excoluit: id est quia in Christianæ religionis lumine nouis argumentis in alicuius rei naturam penetrare sum aggressus, quas Aristoteles in crepusculo igniculorum humani ingenij non prouidit, nec tractauit: Peripateticus non sim? Nimis angustam enimuero nactus es philosophiam. homini ingenuo prodeundum interdum est in apertum, ex ædibus, quæ licet regiæ, nomen, & vim carceris habeant, si solùm exire permittant aut mortuo, aut morituro.

Ridiculus profectò sit qui bellum molestissimum à se non amoueat, cum possit in ipsos belli concitores, quod facillimè in hac causa fieri potuit, Virtus enim omnis in mediocritate collocata, duobus vtrimque vitijs sic oppugnatur: vt inter illa multo maxima sit pugna. Id mihi tunc fesso, ac præuaricationis in publica causa timido, consilij obtulit aduersariorum hinc, atque hinc importunitas. multa dixeram in vtramque partem festinata responsione, & aliqua fortasse non ex animi sententia; quam reseruo ad finem orationis huius.

Quam

Quam igitur ipsi litem intentarunt in me, ipsis secundùm vniuscuiusque eorum tabulas dedi. Habet vterque quo se tueatur: habet quo pungat aduersarium. altercentur inter se: parcant interim mihi; cui ponitur in felicitate, amicum omnibus, in meo nido viuere, nec lacessitum, nec lacessentem. Audietis, opinor, illos cum voluptate digladiantes inter se alterum pro vetustate, pro nouitate opinionum alterum.

Nihil esse sub sole nouum, aut dictum recentioribus, indictum ore alio, afferebat alter, auctoritate dimensus omnia, ex oraculis diuinæ sapientiæ. non est id nouum, quod tu pro nouo venditas; sed tu serò didicisti. Ex eiusdem sapientiæ responsis inter homines versantis, producebat alter, laudem ponens in nouitate; etiam eos habere in Christiana philosophia commēdationem doctrinæ; qui de memoria sua veterum thesauro, vetera promunt, & noua proferunt de ingenio fecundissima nouitatum vena. deierabunt ipsi sæpè auctores antiqui, sibi numquam id cogitatum, quod tu in ipsis ingeniosa interpretatione deprehendis: vt abdices te inuentionis gloria, quam

abiectus animi concoquere non pores. An meministi, dicebat ille, ex Ioannis Apostoli decretis nouitates esse vitandas? sed profanas, subiungebat alter, & quibus ratio nulla subsidio veniat opportunè. Pruriunt nouitatum sectatoribus aures, vt conijcit magnus Thomas; cuiusmodi futuros in posteritate prædicebat Apostolus Paulus. beatus tamen synodo Constantinopolitanæ dicitur is; qui doctrinis populum erudit nouis, & inauditis. Nullum Concilium Christianæ reipublicæ senatorum aqua, & igni, sacrisque non interdicit ijs, quos ab innouandis opinionibus nouatores apellamus per contumeliam. nullum concilium aliquid noui non peruidit in Christiana doctrina: vt ab aurora per suos gradus proficeret ad perfectam diem. Christus auctor nostri nominis veritatem se nominauit non consuetudinem. qui tamen antea professus erat vetustatem à se non corrumpi, sed confirmari. Illa, ex iurisconsultis quoque opinio laudanda est, quæ longam ætatem tulit. quod à principio tamen infirmum fuit ex eorumdem regula temporis beneficio non conualescit. Et quod à principio in sapientum existi-

ſtimatione profundè radicatum eſt, leuiſſimis tuis ratiunculis conuelli nō poteſt. Pigri eſt ingenij contentum eſſe ijs, quæ ab alijs inuenta ſunt. ſed acris eſt iudicij bene inuenta, electione bona facere meliora.

Nec minor eſt virtus, quàm quærere; parta tueri.

Quid futurum erat temporibus illis, quæ ſine exemplo fuerunt, ſi nihil innouare voluiſſent? gratulemur ideo nobis, quòd per maiorum labores via nobis aperta ſit patentior, ac tutior ad veritatem. Pecudum eſt oculis inconſcijs in præcipitia ruere per veſtigia preæuntium. ferarum eſt diſciplinæ impatientium ſine duce ſolitarias ad prędam peruagari. Mehemetis inſtitutum illud eſt, velle ſua decreta extra aleam collocata diſputationis, refractarij iſtud eſt ingenij, ac in hæreſes proni, omnia ſuo arbitrio permittere; & quot ſunt hominum capita, tot habere iudices opinionum. In verba Dei equidem iuraui, & falli, & fallere impotentis. in verba Ariſtotelis inauguratus es, aut philoſophiæ initiatus, aut eiuſdē triamphalibus inſignitus. Amicus Plato, amicus Socrates, amicus quoque ipſe Ariſtoteles; vtinam tibi amicior,

 quàm

quàm tu ipse, cuius amor insanus cęcitatem facit; vt tua tibi verò videantur similiora. Aristoteles mihi esto dux expertissimus in antiquorum dictis conuellendis. Aristoteles mihi sit exemplum in antiquorum monumentis euoluendis assiduus: vt eius ædes, ædes lectoris dicerentur à Platone magistro. A Platone magistro, quem ipse turpiter deseruit, vt sua noua videret. à cuius ore per viginti annos pependit, vt veritatem hauriret. Cuius famam proscidit verbis maledicentissimis. cui aram posuit ex veteri superstitione; cui sacrificia perpetrauit tamquam philosophorum Deo; Quem sæpè malè interpretatus est, vt inueniret causam reprehensionis: quem antea perperam acceperat Xenocrates condiscipulus, & æmulus, successor in academia Platoni; quem Aristoteles arguit, Platonis nomini pro discipuli modestia semper parcens. Vt vt res sit, ratio aptior eruditis; auctoritas imperitæ multitudini. quo numero censendi scilicet nos sumus veteribus collati, ac Aristoteli præsertim. Ergo vno progenerato Aristotele effoetâ iam est natura? vt paria nunc quoque profeminentur ingenia; ætatis iure,

veritatis possessionem occupauit. Sed iam sit tempus sexagenario, atque adeo millenario maiorem senem ex romana veteri consuetudine de ponte deijcere. vt tu deserto duce peritissimo præceps ruas per semitam angustissimam; quam vltra, citraque nequit consistere veritas. Caligant senum oculi, nec vada recognoscunt occultissima. cornicum oculos, vt video, vis configere tu, cuius oculi cœcutiunt in area patentissima. In summa tyrannis est ista digna Mezentio viuas animas mortuis iungere opinionibus. mortuas opiniones eas tu vocas, quæ longam ætatem tulerunt, & in sapientum animis perpetua vicissitudine ferent immortalitatem? Voluissem equidem non ipsam dumtaxat vocem reponere acerrimæ altercationis: sed illam quoque vim, & energiam, sine qua muta sunt verba, & omnis ore alieno prolata, mortuæ propior iacet oratio. in fronte, in oculis, in vultu, in actione, in toto corporis habitu emicat animus dicentis: quæ orator, vt sit vehemens, & simulator egregius, numquam aliquis effinget, nisi perinde ac dicitur, afficiatur. habent reliquæ partes orationis artem suam: hæc

tota veritate conficitur? Accipite igitur excusationem, si qui adestis alterutrius partis fautores, indignati dicentis imbecillitate causam prodi. Vos, quibus nulla est in alterutram partem inclinatio, si laudastis vehementiam declamatoris, & ardorem: quid si ipsos alternis veluti fulminibus mutuò se lacessentes audire datum fuisset, ac spectare?

Quia verò, iam defatigatis altercatione animis, ex promisso iudicium meum videtur efflagitare humanitas vestra; licet possim cum Paride meã sententiam addicere maius donum licitanti: venit tamen in mentem Palæmonis apud Virgilium, & eius prudentiam imitari, laudatis singulis, nulli causam adiudicantis.

Non nostrum, inter vos tantas
 componere lites:
Et fama tu dignus, & hic, &
 quisquis amorem
Palladis annosæ, siue experiere
 recentis.
Claudite iam riuos pueri, sat prata biberunt.

Pastoritium iudicium non probatis licet litem dirimat, vt in Paride iniquum, siue sub iudice relinquat, vt in Palæmone rudius, & meis quoque

que non sunt illa opportuna ratio-
nibus, pacem conciliare volentis, &
vtriusque causam probare. Comici
solertiam iudicis fortasse meliùs ad-
hibebo. Apud hunc (& erat propter
doctrinæ famam ei cognominis, qui à
sacris compilatis decretis celeberri-
mum sibi fecit nomen) Apud hunc
arbitrum, honorarium cum litem con-
testati essent clientes eius duo: ma-
gnis altercantium fastiditus clamori-
bus, tenete, inquit, ora mortalium,
ineptissimi, ad sententiam intenti;
quam ipsa meo dicit ore iurisprų-
dentia. multa ille addebat in sui
laudem ridiculus, quæ referre puti-
dum, & obuia sunt in comędijs: tum
in alteram inclinatus partem; recen-
sitis eius omnibus rationibus cum io-
cosa verborum inuersione: an non,
dixit, hæc ita esse mecum affirmas?
affirmo equidem, respondit ille fi-
duciæ plenus adeo, vt diffłueret, be-
ne habet, excepit ille in contrariam
partem conuersus; & eius quoque
recensito iure cum adiectione ludi-
cra vocum ambiguarum; an non sub-
iunxit tu quoque hæc ita esse me-
cum pariter asseueras? asseuero equi-
dem, nil cunctatus ille, suæ causæ
gratulatus; cui patronum optasset, nō

iudi-

iudicem . Desistite igitur, conclusit egregiè: quandoquidem vterque affirmatis. Sed cum illi ambigui, quem sua sententia condemnasset arbiter; iterum insurgerent, ac audientiam efflagitarent: homo sapientissimus ipsorum indignatus imperitiam, noua interrgatione ad singulorum sensum expressit ab vtroque negationem. Mihi enimuerò, ait, non est ampliùs vos audiendi patientia: vterque affirmatis, vterque negatis, & litigatis? abite in malam crucem. & ne temporis iacturam faceret, ac operæ; ridicula salutatione, rotato in celerrimum gyrum pyleo, ac toto corpore, se proripuit à stupore clientium, à sibilis, atque à plausu spectatorum. Ridiculum hoc ego consilium, sed extra iocum in rem aduocabo meam, vtrique parti amicus, velint, nolint; inimicus neutri etiamsi peruelint. Ais tu insistendum veterum auctoritati? & ego aio: & tu suis omnia rationibus examinanda? & ego aio. tu idem negas in sola veterum auctoritate sistendum? & ego nego: & tu negas per abrupta quærendam veritatem extra vias? & ego nego. cum vtroq: affirmo cum vtroq; nego. sed ne turpis videar assentator: corrigẽdi mihi estis ad me-
dio-

diocritatem; vt me sequestro concilietis quoque pacem inter vos. Magna ingenia nimia sunt in omnem partem, quam arripuerint. vterque, cum pro vobis dicitis, bene: cum in aduersarium insurgitis, aliqua absurdè. Ingenio velificanti ad gloriam nimiùm vela ne permittite; ne aut incidatis in scopulos, aut nauigetis vltra lineam veritatis. Insistere me iubes antiquorum vestigijs? prudenter. in ijs, sistere miserorum est. Principia ab antiquis philosophis prouidenter explorata studio contradicendi conuellere; tentamentum plenum temeritatis. pede in eorum doctrina firmiter collocato, extendere alterum pedem vlteriùs ad ea inuestiganda, quæ ijs fuerunt incognita; facinus est magni animi, & singularis commendationis. & vt cauendum est, ne auctoritas trahat nos in stupiditatem; ita ne libertas ratiocinandi degeneret in licentiam philosophicam. longam rem totam metiri, ac decurrere vita hæc breuis non potest: coniungendæ sunt igitur ætates; vt ex eo loco nobis destinemus initium nouarum disputationum; vbi finem inuenit veterum inquisitio. Nouas inire singulos semitas ad arcem sapientiæ;

tiæ; labores habet plurimos; & quia iter longissimum oculis totum lustrari non potest ab initio; exitus habet incertissimos. cursu à carceribus identidem repetito in eodem semper immorari spatio, quod complanarunt antiqui, securitatis opus est, vt amantis tutiora, ita paulùm distantis turpissimæ secordiæ. Ducitur huic in vitium culpæ fuga: ducit illos in improuisum sæpè dedecus, affectata laudis ambitio. O Romanorum ad dissipandas domesticas discordias cósilium prouidentissimum; triumphalia bellis ciuilibus abnuentium: quæ mihi videntur, excitare ij; quibus tota in eo collocatur industria, vt refellantur, si quid errauerint antiqui ciues, siue veriùs maiores nostri. O eorumdum ad acuendam fortitudinem, & imperium amplificandum decretum magnificentissimum: quo ille iustus, ac verus dicebatur triumphus; qui non de rebellantibus prouincijs, sed ex hostibus reportaretur, nulli priùs Imperatorum debellatis. qua lege, qui auderet triumphum ille petere; qui totus est in veterum dictis explicandis; & si quid oppugnatum fuerit, quasi limitaneo milite imperij terminis aduersùs vim hostiú in-

ingruentium defendendis: ſed neque alter triumphalia reportabit; qui argumentorum quaſi militum copias ducit ad conuellenda dicta maiorum; quod eſt veluti bellum ciuile. Cum ijs igitur pax quoquo modo firmanda; quærendique noui hoſtes, vt ijs deuictis, amplificatoque ſic imperio, iuſtam habere poſsimus triumphi petitionem. Scilicet adhuc multa reſtant in philoſophia, de quibus antiqui non diſſeruerunt: & ad veritatem multarum rerum, quæ adhuc latet in tenebris ignorantiæ, penetrare poſſumus per principia rectè poſita ab antiquioribus; ac præſertim ab Ariſtotele; quo in philoſophicis rebus neminem inuenies, qui acutiùs veritatem peruiderit. Id ſpectarunt, opinor, Auditores, maiores noſtri cum eam tractandæ philoſophiæ rationem induxerunt, de qua dicebamus initio; vt excitatis quæſtionibus, auctoritate veterum firmaremus, ac præſertim Ariſtotelis ſententiam noſtram: & ſiquidem videretur ille nobis aduerſarius, vti ſæpè ambiguus eſt affectata quadam obſcuritate, probabili interpretatione ad conſentiendum traheretur, id enimuerò eſt bella vitare ciuilia, nullos habitura

trium-

triumphos : atque adeo factum ijs, opinor, satis; qui auctoritati veterum, ac Aristotelis præsertim omnia tribuenda censent. Interim non sola nudè Aristotelis verba prosequi continenti, ac putida explicatione iubent: sed eius rationes vt diligenter examinemus, permittunt, & oppidò præcipiunt: neque vetant ea de ingenio addere; quæ venire possint nobis in mentem, veteribus non excogitata, aut ad posteritatem non transmissa. id est imperij limites ad nouas prouincias extendere: vt sic etiam ij in hanc philosophandi rationem venire possint: qui suas partes, & quidem præcipuas volunt esse ingenij, atque argumentorum in philosophia.

Hac ego quoque lege philosophiam profiteor vestra auctoritate, Patres, sacramento dicto in Aristotelis nomen. Quod meis armis defensabo, neque me, neque meos liberos ingenij mei fœtus cariores habebo, quàm ipsum, & vniuersam eius philosophiam. Imperatorem in acie non deseram, neque pugnare recusabo pro Peripatetica doctrina. ferrum tango, & capio, quod ipse porrigit, idest eius philosophandi rationem; pro ipso, si cum Christia-

na religione consentiat; contra ipsum si dissentiat. si fallam tum ipsa veritas mihi propitia numquam siet. Decernite interim And: antequam abeam, me contra sacramentum non facturum, si argumentorum vim, ac pondus Aristotelis examinem; & maiorum meorum dictis ausus aliquid addere de meo (paratus ea retractare tamen, quæ vobis non probentur) scriba esse abnuam, ac notarius: pro vestra mei existimatione, quem ad amplius munus euocastis. vt sic veterum vestigijs insistam, neque tamen in ijs sistam; & bonus philosophus audiam in auctoritate veterum, & in argumentorum pondere.



DE FVNDATIONE REIPVBLICÆ HEBRAEORVM

DISSERTATIO HABITA

IN COLLEGIO ROMANO

Coram

EMINENTISS. PRINCIPIBVS

FRANCISCO

ET

ANTONIO

Cardd. Barberinis.

ET EXCELLENTISSIMO VRBIS

PRAEFECTO

THADDAEO

BARBERINO

IN

CELEBRATIONE ANNI

CENTESIMI

à fundata Societ. IESV.

Ex libro Geneſeos, cap. 17.

Poſtquàm verò Abram nonaginta, & nouem annorum eſſe cœperat: apparuit ei Dominus; dixitque ad eum; Ego Dominus omnipotens. ambula coram me, & eſto perfectus. Ponam fœdus meum inter me, & te; & multiplicabo te vehementer nimis, &c.

NOnaginta ſupra nouem expletis annis, abſolutáque cumulatæ virtutis periodo, nō magis menſibus, quàm myſterijs diſtinctum ingreſſus annum centeſimum Abrahamus; eiurata pridem Chaldæorum ſuperſtitione, non ſine ſupremo vitæ periculo, malè tractatus à ſuis: voluptatum, ac diuitiarum cupiditate abdicata; cum Pentapolitanam regionem amænitate paradiſo comparabilem, & Iordanis irrigatione fœcundam, alijs vltrò habitandam permiſit: & à Lotho fratris filio viro cetera probo ſeiunctus, omni conſanguinitatis amore perpurgato; & propterea ſupesis habitus in delicijs. ac Deo carus: atque adeo frequentibus cœlitum collocutionibus olim digna-

tus

tus; animatusque fortunatæ, ac numerosæ posteritatis pollicitationibus; diuinæque curæ, ac prouidentiæ super suis rebus inter malorum, ac bonorum vicissitudines felicibus euentis iam certior: postquam paterna domo, ac patria relictis, suam, Deum sequutus, illi probasset obedientiam, & longa promissæ prolis expectatione fidei constantiam; nec minus ostentasset in difficultatibus, ac laboribus fortitudinem: amplissimo patrimonio, quod in auri, argentique ingenti vi, ac multo pecore constitutum habebat, apud suos vicinos honoratus; tum hospitalitate in exteros, munificentia in suos gratiosus apud omnes: & post reportatam de quinque regibus vno prælio victoriam, bellicæ virtutis existimatione formidabilis: in astrorum scientia, quæ procul ab omni reprehensione, ac rerum futurarum diuinatione, tum maximè colebatur, facilè princeps: nobilibus peregrinationibus in cognitione aliarum gentium, ac morum exercitatissimus ad ciuilem prudentiam: quin & faustis Melchisedechi sanctissimi sacerdotis acclamationibus sanctitate religionis venerandus: lege demum circumcisionis accepta, domo, ac familia

milia in suos ordines distributa, nomine in augustiorem notionem commutato, multarum gentium, atque adeo credentium Pater consalutatur; & nouæ Hebræorum Reipublicæ sub vnius veri Dei principatu fundator sanctissimus cœlestium spirituum præconio, sacris cœremonijs, supremi numinis auctoritate Abrahamus inauguratur. Hæc est cum superioribus capitibus connexio, & hoc est huius capitis decimi septimi Geneseos argumentum; quàm amplum, quàm graue, quàm huic loco, & tempori opportunum, quàm vestra ista præsentia dignum, Principes Eminentissimi, Præfectè Excellentissimè! Quia verò multa leuiter fuerunt à me, ac solutè perstricta; quorum aliqua in confesso apud alios, & citra controuersiam non sunt: ideo curiosiùs reuocanda illa mihi erunt hodie in disputationem. Ac primùm neruosè cõfirmandum illud est, anno Abrahami vitæ centesimo ea euenisse, quæ narrantur hoc capite: tum eas narrationes ad fundationem Hebræorum reipublicæ pertinere; atque adeo ab hoc tempore eius initia esse repetenda. Idemum illud accuratè disquirendum est; cur Angelorum opera

vices

vices Dei sustinentium fuerit ea respublica fundata: cum tamen instituta benè viuendi religiosa, quæ in Ecclesia sunt tam multa, ac tam varia, obsignari voluerit Deus auctoritate hominis inter mortales viuentis, hoc est Romani Pontificis; à quo confirmante suum illa deducunt initium.

Postquàm igitur *Abram nonaginta, & nouem annorum esse cœperat*. Hos ego annos affirmatè assero integros, ac plenos supputandos: vt sine additamento inani se centenarium dicere posset Abrahamus; cum infra sibi promissam sobolem gratulatus, suam ætatem cum spe confert inopinata tantæ rei *putasne*, inquit, *centenario nascetur filius*? at quis centenarium senem nuncupauerit eum; qui nonagesimum, & nonum annum vix fuerit ingressus? Ac propterea S. Paulus ad Romanos fidem Abrahami exaggerans, quòd de senectute sua, deque sterilitate vxoris suæ nasciturum sibi filium non desperauerit, centum annos recenset. *Nec considerauit*, inquit, *corpus suum emortuum: cum iam esset fermè centum annorum*: addita autem fuit illa particula, *fermè*, quia tum centum annos nondum compleuerat. Qui

locus

locus Benedictum Pererium eruditum, ac diligentem ſacrarum litterarum interpretem impulit; vt mutata ſententia, cum in commentarijs ſuper libris Geneſeos aliter annos Abrahami enumeraſſet; in diſputationibus ſuper Epiſtola ad Romanos non antea illi factam fuiſſe ſobolis promiſſionem affirmet, quàm centeſimum annum attingeret: cum afferat, vno anno poſt, generato Iſaaco, annum patrem impleuiſſe centeſimum. Conſentiunt huic ſupputationi tùm alij apud ipſos, tùm maximè ipſi Torniellius, & Salianus noſter Chronologiæ ſacræ ſtudioſiſſimi ſcriptores. At quorum in hac re pluris valeat iudicium, quàm eorum; quorum cura maxima in eo eſt, vt annos, & annorum ſingula momenta quantùm fieri poteſt ad calculos reducant? Prætereo, ne actum agere videar, aut notarium magis, quàm interpretem; prætereo libens coniecturas, & argumenta, quibus illi ſuam ſententiam confirmare nituntur.

Afferam ego in medium ſimilem, ac planè geminum ex teſtamento nouo locum: vbi S. Lucas Euangelij ſui capite tertio ſic annos Chriſti percenſet, cum baptizatus is fuit in

Iordane. *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta*. Conferte, si placet verba verbis. *Postquàm verò Abram nonaginta, & nouem annorum esse cœperat*: & sanè hac loquendi formula vsum esse latinum interpretem haud facilè aliàs reperiemus. At Christus Dominus, auctore Cæsare Baronio Eminentissimo viro non minùs historiæ laude, quàm purpuræ splendore; cum ad Ioannem baptizandus accessit annum trigesimum per aliquot dies iam excesserat. Abrahamus igitur quoq; nonagesimum nonum iam fuerat egressus. Assumptionem huius syllogismi, in qua tota vis est, ac difficultas, prætereà probat communis Ecclesiæ sensus: quæ Christi exemplo aliquem olim sacerdotio initiari, & nunc etiam eum Episcopum renunciari vetat; qui annos triginta non exegerit. Simeon Thessalonicensis Græcorum canonum eruditissimus, vtinam schismatis non adeo tenax, in libro contra hæreses de Diacono Sacerdotij candidatò sic loquitur Ἐξετάζεται καὶ οὗτος παρ-ιεράρχου περὶ τοῦ βίου χρόνου: τριάκοντα δὲ ἔτος ὀφείλει εἶναι ἐτῶν διὸ καὶ Πρεσβύτερος ὀνομάζεται: ὡς τὸν νεανίσκον ὑπεραναβὰς, καὶ τὸν Χριστὸν τῇ

ἡλικία

ἡλικία μιμούμενος. Examinatur etiam hic, ideſt deſignatus ſacerdos, *à ſacerdotum præſide de vita, & ætate: Triginta annorum enim eſſe debet: tamquàm qui iuuentutem egreſſus, Christum ætate imitetur.* Quòd ſi quæras inſuper, vtrum trigeſimus inchoatus, an potiùs expletus iuuentutis fines determinet, ac virili ætati principium faciat: teſtimonium ſuper ea re ſanctiſſimum recitare poſſim Concilij Nicæni ex Hippolyto Thebano apud Turrianum noſtrum in ſcholijs ad ſecundum librum Conſtitutionum Clementis Romani Οὕτως, inquit, ὁ Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς τριάκοντα χρόνους ἐν τοῖς παιδικοῖς αὐτοῦ χρόνοις διηγεν· διὸ καὶ οἱ ἐν Νικαίᾳ κανόνες τῶν θεοφόρων πατέρων παρακελεύονται πρὸ τριάκοντα ἐτῶν μηδένα χειροτονεῖσθαι Πρεσβύτερον quem auctorem ſic latine loquentem facere poſſumus. *Ipſe Dominus Ieſus Christus triginta annos in puerilibus annis egit. Ideo canones Nicæni trecentorum decem & octo ſanctorum Patrum vetuerunt ante triginta annos aliquem manuum impoſitione initiari preſbyterum.* Et hoc illud eſt, quòd inſiſtens antiquiorum Patrum decretis Bonifacius Pontifex relatus à Gratiano diſt. 78. de æta-

te legitima presbyterorum decretum grauissimum fecit. *Si quis triginta ætatis suæ annos non impleuerit, nullo modo presbyter ordinetur, etiamsi valde dignus*: addiditque ex concilijs antiquioribus, & patribus causam Gratianus: quia non minor ijs annis Christus operam prædicationi dedit; quod tamen statim post baptismum susceptum fecit. Permisit quidem post ea tempora Zacharias Papa licentiam, exigente necessitate ad Sacerdotium prouehendi aliquos ea ætate minores: vt refertur à Gratiano distinctione eadem. *Si triginta annorum non reperiantur, & necessitas exposcit à viginti quinque annis, & supra leuitæ, ac sacerdotes ordinentur.* quod necessitatis priuilegium in legem transtulit communem omnibus Concilium Lateranense sub Alexandro Tertio libro primo Decretalium tit. 6. de Elect. & elect. potestat. cap. *Cum in cunctis*: & potestate facta omnibus, vt in sacerdotium venire possint, cum primùm attigerint annum quintum supra vigesimum: Episcopum tamen fieri aliquem vetat ante annos exactos triginta. *Præsenti*, inquit, *decreto statuimus, vt nullus in Episcopum eligatur, nisi qui iam trigesimum annum*

ætatis

ætatis exegerit. Sed vt iam, vnde fueramus digreſsi, redeamus in viam; sic rem totam conficio. Cum dicitur cœpiſſe Ieſus eſſe annorum triginta, anni percenſentur integri, atque omni ex parte completi: ergo, cum Abrahamus narratur eſſe cœpiſſe annorum nonaginta, & nouem; non minùs ij erunt anni computandi pro ſolidis, ac nulla parte deficientibus,

Confirmat magis hanc Abrahami ætatem hebraicus textus: ſic enim verba iacent in Biblijs hebraicis *vaihi Auram ben tiſcnghim ſcana, veteſcangh ſcani Et fuit Abram filius nonaginta annorum, & nouem annorum*. An vtrumque hunc numerum ex cóſuetudine idiomatis Hebraici diſtributè recenſitum, diminutum accipiendum cenſebis? atque ita, cum de nonaginta annorum ſumma deceſsionem feceris aliquam, & de nouem annorum feceris aliquam; ſummam annorum vitæ Abrahami facies minorem annis nonaginta nouem: id quod vulgata lectio Græca, & Latina, quidquid ſuper ea re commentatus fueris, pati non poterit. an alterum inchoatum, alterum enumerabis expletum? at hæc varietas quàm incommoda hiſtoricæ veritati acci-

dat quotus quisque non intelligit? Restat igitur, vt absolutum accipias vtrumque in summam: & sic nonaginta nouem annos conficies, & centesimum attinges. Sed ipsos consulamus Græcos codices Septuaginta interpretum Ε'γένετο δὲ Α'βρὰμ ἐ' τῶν ἐ'ννενήκοντα ἐν νέα *Et erat Abram annorum nonaginta nouem*. Nemo inficiabitur, opinor, verbum illud Græcum ἐ'γένετο aoristo medio, perfectionem quamdam arguere annorum. Quare, vt mihi multa prætereantur, quæ sacrorum canonum, & legum interpretes ingeniosè commentantur super annorum supputatione, quando habendi sunt pro integris, & aliàs pro inchoatis: ea ad chronologiam texendam regula esto certissima. Cum numeri adhibentur, quos Grámatici vocant ordinales; cuiusmodi sunt ij, primus, secundus, quadragesimus, centesimus; tum siue annus ille sit confectus, siue tantùm affectus, habet oratio veritatem: cum verò adhibentnr numeri, quos Grammatici cardinales vocant, vnus, duo, nouem, triginta, nonaginta, alijque; cuiusmodi adhibiti sunt numeri in recensione annorũ Abrahami, & Christi: tunc ij anni perfecti vt sint, opus

est; ne oratio deficiat à vero. Regulæ huic auctoritatem conciliat Gloss. in Clem. prima tit. 6. *de ætat. & qualit.* cap. *Generalem*. vbi cum decreuisset Pontifex, posse quempiam in anno decimo octauo ad subdiaconatum inaugurari: subdit glossa, *in anno decimo octauo: intellige inchoato; certum est enim, quòd maior decem, & septem est in anno decimo octauo; nec littera requirit, quòd sit decem, & octo annorum*: ergo cum quis dicitur esse decem, atque octo annorum, aut simili loquendi formula, cum dicitur esse annorum nonaginta nouem; ij anni accipiendi sunt integri, atque completi. Et sanè, si attentè animum aduertamus; modus ipse loquendi per se adeo perspicuus est in sententiam meam; vt non pluribus indigere videar ad eam regulam suadendam; quam vulgaris vsus confirmat; quæ fuit semper, & erit optima loquendi norma.

Ita cum tibi VRBANE Octaue Pontifex Optime anniuersarium noua semper cum felicitate redeuntem gratulamur tui principatus diem primum: gratias primò agimus Deo; quòd decem iam, & septem annos Ecclesiæ suæ commoditatibus te cómo-

modauerit: & hi pleni ſunt atque integri. at ea, quæ tu in poſterum, vt hactenus feciſti, in Societatem hanc minimam, aut in vrbem Romam, aut in Chriſtianam gentem, aut in vniuerſum terrarum orbem beneficia contuleris, collata dicemus anno decimo octauo, quamquam non expleto: tu tamen ad vltimum terminum non deſiſtes bene de omnibus mereri. Et præterea cum tibi ore ſyncero denunciamus, & corde venerationis pleno deprecamur annos plurimos; ſolidos illos, & nulla parte deficientes auguramur: vt dum alter annus alterum excipit ſine vlla intercapedine; vnus finem, & complementum non inueniat, quin alter ſe vertere occœperit, votis expetitus noſtris, & nullus, ſi fieri poſſit, tibi adueniat poſtremus. In Græcia nunc quoque viri religioſi, & qui Eccleſiæ Romanæ conſentientes ſunt, vt audio à viris fide dignis, Romanum Pontificem ſoliti ſunt vocare Abrahamum, nomine, vt ipſi aiunt, auguſtiori. analogiam inter vtrumque, & translationis cauſam facilè videtis. Sic ò vtinam ætas quoq; noſtri Abrahami ſenectuti veteris Abrahami proportione reſpondeat:

vt poſtquàm annum centeſimum attigerit, nouum ſœculum proſperitate cumulatiori redordiatur. Hiſce cum votis & Collegium hoc Romanum, quod te olim alumno magnam, ſed non indebitam ſumit ſuperbiam, ſtatuam tibi erexit: & quod maius eſt Roma impatiens opperiri tempus illud vltimum, quod aliorum meritis afferre ſolet honoris initium, & quod quàm longiſsimè abeſſe peroptat, ac ſperat; ſimulacrum virtuti tuæ grati ſui animi monumentum poſuit; in quo viuens ipſe poſsis relegere Senatus, Populique Romani de tuis annis deſideria. interim

Præſenti tibi maturos largimur honores;
Nil oriturum aliàs, nil ortum tale fatentes.

Ad Abrahamum redeo, qui propterea quòd centeſimum annum abſolutæ virtutis argumentum fuerat ingreſſus; non tam iubetur eſſe perfectus, quàm commendatur; cum ei dicitur *Ambula coram me, & eſto perfectus*. *Denarius numerus*, inquit Philò Iudæus, *progreſsionis, centenarius verò perfectionis nota eſt*. ad quam qui non peruenerit per denarium diuinorum præceptorum progredien-

do, promerendis honoribus, & sustinendis oneribus fundationis nouæ Reipublicæ impar à Deo iudicabitur. qui prætereà dum ex decimis, quas à populo Sacerdotes accipiebant, decimas sibi adhuc nominatim iubet seponi, quæ centesimæ propterea sunt; siue, vt loquitur Philo, quæ centenarij rationem continent: illud planè ostendit, ac manifestò nihil sibi placere posse, quod cum centenarij perfectione commetiri non possimus. Sed vacat adhuc vltra perquirere quid sit illud, quod inquit Philo, denarium progressionis, centenarium perfectionis notam esse.

Aegyptij vt centenarium numerum exprimerent, demisso auriculari digito, reliquos quatuor dexteræ manus erigebant. est autem auricularis digitus vt omnium minimus, ita etiã apud Aegyptios inutilis, neque inter sacros characteres adscriptus: quasi potuissent homines illo carere sine monstrositate, siue quasi rem imperfectam, ac debilem repræsentet. superest igitur in digitis reliquis numerus quaternarius: qui, vt sit mysteriorum vberrimus, eo tamen nomine maximè commendatur, quòd contineat denarij vim; *Si enim*, inquit

quit Philo, *ab vnitate vsque ad quaternarium deinceps componantur numeri, denarium conficient, qui est immensitatis numerorum terminus, ad quem ceu metam circumaguntur, & se reflectunt.* Sed denarius numerus, cum quadratus non sit, perfectionem non habet, ductus verò in se centenarium conficit, quadratum numerum absolutissima perfectione completum. Quadratus quippe numerus, quia ex alio numero in se ipsum reflexo conficitur, ex Pythagoræorum doctrina perfectissimus est vsque adeo; vt eum fecerint symbolum diuinæ naturæ, quæ tota apta ex se non aliundè, quàm à se initium habet, neque finem extra se vspiam potest reperire. Quatuor igitur exordium continent perfectionis, decem progressionem; centum perfectionis absoluunt complementum.

Hic ille numerus quadratus est, cui similem volebat virum probum apud Aristotelem in Ethicis Simonidis, quem propterea vocat τετράγωνον ἄνευ ψόγου quadrangulum irreprehensum. Quamquam fortasse in ea nuncupatione non Arithmeticam spectauit, sed Geometriam; ex qua eamdem hanc metaphoram ad idem

exprimendum adhibuere Plato in Protagora, Iulianus Imperator cognomento Apoſtata, ac demum Sopater in epiſtolis apud Stobæum ſermone quadrageſimo quarto. Habet verò quamdam centenarius numerus cum corpore cubico Geometrico, ſiue quadrato ſimilitudinem. quemadmodum enim vnitas puncto quadam proportione reſpondet, & binarium lineæ, vti diſputat Philo, & triangulo ternarium: ita figuræ cabicæ quaternarium. quæ tamen figura, cum in altitudinem non aſſurgat, neque in profunditatem demergatur; ad perfectionem corporis non pertinet, quod trina dimenſione completur. Sed non ſecus, ac ex quaternario, ſi argumentari licet ex Hierogliphyca Aegyptiorum doctrina, numerus centenarius per denarium progignitur: ita ex figura cubica in omnem partem ducta corpus quadratum, & cubicum procreatur omnium perfectiſsimum, ac abſolutiſsimum. Quod eiuſmodi corpus, quia ſex ſuperficies habet æquales; quamcumq; proijciatur in partem; ſtat ſemper rectum æqualiter, nec vlla iactatione deprauatur, ac labitur. Hic eſt habitus viri probi tanta virrute firmati,

ti, ac suffulti; vt quacumque tempestate fortunæ iactatus, in gradum se referat semper, & statum illum non amittat; quem ab habitu constantissimæ virtutis accepit. Huiusmodi æquitatis obtinendæ gratia monebat grauiter Delium Horatius.

Aequam memento rebus in arduis
Seruare mentem: non secus in bonis.
Ab insolenti temperatam
Lætitia moriture Deli.

Talem, & aliàs describebat, cùm virum iustum, & fortem laudaret.

Iustum, & tenacem propositi virum
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis Tyranni
Mente quatit solida, neque Auster
Dux inquieti turbidus Adriæ;
Nec fulminantis magna Iouis manus,
Si fractus illabatur Orbis:
Impauidum ferient ruinæ.

Talis erat S. Ignatius nostræ religionis auctor, & conditor primus, *in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in*

ſcientia, in longanimitate, in ſuauitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei; per arma iuſtitiæ Dei à dextris, & à ſiniſtris; per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam; perque alias variantis fortunæ viciſsitudines, quaſi per annorum ſibi ſuccedentium inæquales mutationes ad ætatem abſolutiſsimam centenariæ virtutis euectus; hoc eſt ad conſtantiæ habitum firmiſsimum, homo verè quadratus, quem neque ſecundæ res, neque frequentes cum cœlitibus cōgreſſus, neque populorum plauſus, neque principum virorum ſingularis gratia, neque honores publico mortalium ſuffragio in bene merentem collati, neque fortunata in publicum bonum ſuarum cogitationum euenta inſolenter efferrent: neque contra res aduerſæ ſiue illæ dæmonum oppugnatione aſsidua continerentur; ſiue mortalium inuidentia excitarentur; ſiue cœleſtium conſolationum diminutione fierent acriores, vlla vmquam parte labefactarent: quem non difficultates à propoſito deterrerent; non ſuprema pericula deturbarent; non iniuriosa vulgi loquacitas, non iniquæ maiorum virorum ſuſpi-

ſuſpiciones, non ſparſæ in publicum, & pronis animis acceptæ, malæ ſuorum factorum, ac dictorum interpretationes in alteram partem inflecterent: non ſuorum alienationes à ſequenda virtute infringerent: non repulſæ, quæ multæ ferendæ fuerunt ab mortalium genere, de ſpe deſtinati operis, ac de conſtantia eiuſdé perſequendi deijcerent. In ſumma qui animo æquabili lætitiam ferret, cum Pauli Tertij auctoritate confirmatum vidit vitæ ſuæ inſtitutum: aut cum audiuit tanta cum ſuorum cōmendatione fauſtiſsimis totius Eccleſiæ commendationibus ordinem ſuum in Concilio Tridentino exceptum: & qui contra, ſine graui animi perturbatione Societatis huius, quam tantopere amabat, & iam cum ſole vtroq; terrarum orbe diſperſam tanto cum diuinæ gloriæ augmento Deo fuerat gratulatus; huius, inquam, Societatis diſſolutionem æquo animo ſe excepturum cum veritate profiteri poſſet: ſi eam, tamquam ſalem in aquam infuſum relaxare placitum diuino numini fuiſſet. O animum verè magnum, & omni mortalitate ſuperiorem! Minus eſt quidquid laudis à corpore quadrato, aut

à numero centenario transferimus per metaphoram ad istam virtutem; minus, inquam, est quàm quod tua virtus commeretur. Soli potiùs te conferam, qui mutata sæpè cœli facie alius, atque alius apparet; semper tamen idem renascitur. Permittite me à domo regnatrice traducere ad Ignatium laudum argumenta; ab illa, inquam, domo, quæ bene Solem sibi proposuit ad imitandum. quam cum Deus ad summum dignitatis fastigium euexit, quasi Solem in Coelo fixit in meridie prosperitatis; vt se ipsa maior facta, alia videretur esse: quam tamen conseruatus modestiæ tenor eamdem sibi esse cum omnium admiratione sanctè iuraret. Poterit quidem cœli facies nubibus obduci tot ingruentium bellorum, aut etiam pestilentiæ, quæ vicina regna vexauit; nec potest, quod inde consequens est, non alius videri Sol: semper tamen erit idem nulla caligine obnubilatus; & iubebit nos vsura suæ lucis candidissima frui in salutis incorruptæ perennitate, & in quieta pacis prosperitate. Scilicet id de se promittebat nobis futurus mox Pontifex VRBANVS VIII. cum elegantissimo carmine

descri-

descripturus placidam animi recti quietem Maphæus Cardinalis Barberinus illam sic Soli verno, ac matutino conferebat

Siue pontus intumescat, siue flamma ferueat;
Siue nimbus, atque grando, siue bellum sæuiat;
Nubis expers hora veris vt serenat æthera!
Mane surgens Sol ab ortu luce, fulget aurea:
Vda roris herba guttis, prata rident floribus:
Dulce concinunt volucres frondiũ sub tegmine;
Absque motu conquiescit vnda ponti cærula.

Gratulor etiam tibi, ò Societas optima mater nostra; quòd centenariá ætatem tam bene feras: vt sæculo primo confecto in basi quadratæ virtutis collocata iam sis. Quid enim siue in bonis, siue in malis in aliquam partem potest te conuertere; vt semper æqua non cadas, & recta? cui omnes commoditatum, ac rerum contrariarum formas expertæ, nihil iam potest accidere inopinatum, & nouum? fruere diu felix hac virtute; vt posteritas nostra millenarium

sibi

ſibi gratuletur aliquando, relicta ſpe poſteritati ſuæ ad extremum vſque diem cadentis mundi, Deo, Romaniſque Pontificibus fauentibus, bene ferendæ ætatis.

His ita de annis, ac ætate Abrahami confirmatis, explicatiſque, faciliùs euincam, & breuiùs conficiam ab hoc tempore initia eſſe repetenda Hebræorum Reipublicæ. quæ nimis altè repetunt ij; qui anno Abrahami ſeptuageſimo quinto iacta eius gentis fundamenta opinantur. tunc, cum ei regreſſo de victoria, quam à quinque regibus reportauerat, nullis adhuc ſuſceptis liberis, percuſſo Deum inter, & ipſum fœdere, vbertatis magnæ filiorum facta eſt promiſſio, ac terræ Chananitidis dominatus; in quam de patria imperio Dei tranſmigrauerat. ſed tunc adumbrata promiſsionibus, non inchoata molitione aliqua fuit ea reſpublica. à quo tamen tempore quamdam aliquando annorum enumerationem aggreditur S. Paulus ad Galatas, cum ait; factam eſſe legem poſt quadringentos, & triginta annos; tot enim intercedunt anni ab anno ſeptuageſimo quinto vitæ Abrahami

brahami ad legis promulgationem in monte Sinai, vt diligenti facta supputatione Chronologi, atque sacrarum litterarum interpretes consentiunt. Sed ea calculorum subductio non facit in rem præsentem; quia non spectauit S. Paulus initia Hebræorum reipublicæ, sed promissa Abrahamo facta, & credulitatem eius, quæ illum fecit gratiosum Deo: vt promissis præcepta legis opponeret, fidemque statueret multis partibus excellentem operibus ex lege factis.: quibus nimium præfidentes Hebræi gratiam Dei meritis mortalium omnibus pretiosiorem, quasi iusta persoluta mercede, reposcebant. Certè S. Stephanus in concione illa celeberrima, qua Synagogæ perfregit audaciam, quadringentos tantùm annos enumerat seruitutis Hebræorum, & exilij apud alienas gentes: at si enumerando à libertate recuperata regrediaris ad antiquiora têpora, & ad annum Abrahami centesimum; annos recensebis quinque supra quadringentos. quamquam ex vulgari loquendi more, ad quem sacri auctores se accommodant, numerus ille minor prætermittitur, cuius nulla videtur habenda ratio in

tam ampla multitudine. Superuacanea igitur fuit Benedicti Theologi Parisiensis diligentia; qui vt Sanctum Stephanum faceret S. Paulo consentientem, mutauit locum, correxitq; adiectione annorum triginta. Alia, illi, atque alia spectarunt momenta; & quemadmodum ille promissis obligatam Dei fidem: ita hic exsolutam post annos viginti quinque promissorum fidem spectauit: id quod factum est, cum primùm vterum gestauit Sara. Quia cum res tristes Hebræorum Reipublicæ sub durissima seruitute commemoraret enarrando S. Stephanus, ex quibus orta est, tamquam ex nocte dies, lux candidissima libertatis: ipsa fundamenta Hebræorum Reipublicæ, quæ iacta fuerunt in terra non sua, extento quasi digito, debuit præmonstrare. Neque verò ad ea initia constituenda tempus illud expectandum est; quo iam populus ille in ingentem auctus multitudinem, vindicatus in libertatem, suis viuere legibus cœpit, quas in monte Sinai interprete Moyse sanciuit Deus: tum cum iustam, & perfectam habens Reipublicæ formam, & conuenientem ei formæ magnitudinem: suis omnibus ab-

soluta

ſoluta partibus, non inchoata reſpublica dicenda eſt. Ita & nos Patres religionis noſtræ exordia non ad primæ Cōgregationis tempus referimus: cum iam incredibilibus aucta incrementis in iuſtam magnitudinem leges à conditore ſuo deſcriptas, ſed nondum promulgatas, in vſum recepit, atque auctoritate ſua firmatas inuiolabiles eſſe voluit, ac ſacroſanctas: ſed ad ea tempora reijcimus, cum decem tantùm enumerabantur ſocij; & cum adumbratum quoddam inſtituti noſtri exemplar fuit Pauli Tertij auctoritate probatum, quod nuncupare poſſumus inchoatæ religionis leue rudimentum.

A nullo tamen meliùs poſſumus edoceri, quæ dicenda ſint alicuius reipublicæ initia, quàm ab Ariſtotele rerum politicarum optimo magiſtro. Diſſerit is ea ſuper re cap. 2. lib. 1. Politicorum: vbi ciuitatem in ſuas reſecat partes, & ad prima reuocat initia. Societatem igitur ille primam ait eſſe maris, ac fœminæ, ſecundam domini, ac ſerui; ex quibus tertia coaleſcat, id eſt, domus. Charondas autem eos, qui eadem domo, familiaque continentur vocauit ὁμοσύπυους, hoc eſt eodem

pa-

panario, eodemque vtentes penu, siue vt legisse videtur S. Thomas ὁμοσπύτυς, hoc est, eodem pabulo, ac frumento victitantes; quos eosdem Epimenides Cretensis nominauit ὁμοκάπνυς eiusdem foci, ac fumi consortes.. Domum autem esse primam confirmat ex Hesiodo, cuius versiculum laudat

Οἶκον μὲν πρώτιστα, γυναῖκα τε, βοῦν τ' ἀροτῆρα.

Domum quidem primam, mulierem, & bouem aratorem.

Desideratur enim interdum in domo, ac familia seruus, vt accidit apud egentes, & pauperes; bos autem, aut aliquod huiusmodi iumentum obtinet serui locum: quia eum suppeditant bestiæ cicures, & domesticæ pauperibus fructum; quem copiosi, & opulentiores ex seruorum familia capiunt. Cum verò multitudo liberorum tanta est, vt vna domo contineri non possint, coalescunt vici, siue pagi, & eorum communitas existit, quos aliqui apud Aristotelem ὁμογαλάκτυς nuncupant, id est eodem lacte, ac sanguine concretos. Ex pagis demum, ac vicis aliqua consociatione legum, & normæ viuendi similitudine coniunctis,

coni-

componitur Ciuitas: consociatio hominum perfectissima; quam adeo sic placuit eidem Aristoteli describere Politicorum lib. 3. *Ciuitas est ciuium multitudo ipsa per se sibi satis, ac sufficiens ad benè, beatèque viuendum*. Exscripsit hæc omnia, & in suum librum officiorum transtulit elegantissimè M. Tullius. *Cum sit hoc natura commune omnium animantium*, inquit ille, *vt habeant libidinem procreandi: prima societas in ipso est coniugio, proxima in liberis, deinde vna domus, cui sunt omnia communia: id autem est principium vrbis, & quasi seminarium reipublicæ: sequuntur fratrum coniunctiones, post consobrinorum, sobrinorumque, qui cum vna domo iam capi non possint, in alias domos, tamquam in colonias, exeunt. Sequuntur connubia, & affinitates, ex quibus plures propinqui, quæ propagatio, & soboles origo est rerumpublicarum.*

Quæ cum ita sint progeniem Abrahami tunc absolutæ formam reipublicæ dicemus induisse: cum seruitutis Aegyptiacæ iugo deiecto, complexionem illam bonorum ad bene, beatèque viuendum assequuta est, in qua sitam esse naturam, ac vim ciuitatis ex Aristotele conclusimus

mus , quam Græci αὐτάρκειαν vocant: nihil aliorum indiga, omnia à se ipsa expostulans, quæ ad ciuilem felicitatem conficiendam videantur opportuna: huius verò ciuitatis prima initia fuisse dicemus domum Abrahami copioso seruitio instructam, vno iam filio auctam Ismahele, mox alterius accessione feliciùs multiplicandam: in qua licet ea desideraretur multitudo, quæ veluti materia est ciuitatis; non deesset tamen αὐτάρκεια, & earum rerum vbertas, quam impendio efflagitat politica beatitudo. An non tunc aliquod rudimentum nouæ reipublicæ facta est illa domus; cum ab alijs omnibus semota, in partem alterius cuiuspiam Reipublicæ venire dedignabatura? An non sibi satis, superque vallerat ad ciuilem beatitatem, quæ nu a desiderabat instrumenta virtutum; quarum exempla grauissima possumus ab ea domo repetere, & cuicumq: ciuitati proponere ad imitandum? An non speciem gerebat iustæ reipublicæ ea familia, quæ in suos partita ordines alios numerabat in patritijs ad principatum habiles, & ad sacerdotia; alios numerabat in populo ad aliquam reipublicæ

partem

partem adſcitos, ſed ſummarum dignitatum expertes: alios demum ſolo capite cenſebat, rerum domeſticarum, aut ruſticarum curæ addictos, ad corporis neceſſitates tuendas maximè neceſſarios? hoc enim triplex hominum genus ipſe recenſet Deus; cum eos enumerat, quos lege circumciſionis obſtringit in vnius populi ſocietatem. In primo ordine collocantur Abrahamus, & Iſaacus ex legitima, ac primaria vxore Sarha mox progignendus: in ſecundo Iſmahel, qui non videbatur eſſe de corpore eius reipublicæ, ſed tamen ad illud ſpectabat, circumciſione in illud adſcriptus; à qua poſtea liberum fortaſſe illi erat ſe, ſuoſque ſubducere: in tertio vernaculi, ac ſerui, & ſi qui alij exterorum Hebræis ſe voluiſſent adiungere, ad nullam ſacerdotiorum, ac principatus partem euocandi: quia de illo ſemine non erant, cuius intuitu mortalium generi vniuerſo benedixit Deus. Quid cum Deus circumciſione familiam Abrahami obſignauit à reliqua colluuione mortalium ſeiunctam: nonne tum fundamenta nouæ reipublicæ poſuiſſe dicendus eſt? Quid cum Deus idem Abrahamum monarcham

summum, ac principem renuntiauit; eique fecit auctoritatem alios cogendi, in legem circumcisionis iurare: nonne tum nouæ reipublicæ auspicatus est Deus præclara initia? Ita enim tòta ea res gesta est; vt Deus cum vno Abrahamo, tamquam cum principe percuteret fœdus: tum Abrahamus familiam vniuersam suæ subditam dominationi in pactione manere cogeret. Placet enim verò And: redordiri prima reipublicæ exordia sub vno principe, qui esset idem Pater, vt non dubitemus ampliùs eam esse optimam communitatis formam, quæ à primis temporibus placuit Deo. Quid si fortasse hoc illud est, quod inquit Homerus
Δεμιστεύη δὲ ἕκαστος Παίδων ἠδ' ἀλόχων μοράδες γαρ κ' ἔτω τὸ ἀρχαῖον
Iura dant singuli natis, & vxoribus; sparsim namque, & sic antiquitùs habitabant; certè multa ex Hebræorum narrationibus in suas historias, ac fabulas transtulerunt Græci: nec quidquam apud ipsos antiquius Abrahamo est; qui Iouis fuit æqualis, si Eusebio fidem habeamus: aut etiá ante Iouem fuit; hoc est sæculo vixit aureo. Quid cum de suo nomine tetragammato, hoc est, de eo nomine

mine, quod supra reliqua omnia, augustum quid, ac diuinum sonat, litteram *He*, quæ, quòd bis in eo nomine repetatur, principem locum obtinet, mutuatus Deus patri, ac matri eius familias commodauit, ac de Abrahamo, hoc est, de Patre excelso fecit, Abrahamum Patrem multitudinis; deq; Sarai, hoc est, de Domina vnius familiæ fecit Sarham, Dominam generatim, ac vniuersè familiarum omnium: nonne satis illud ostendit nouarum rerum exordia hinc nasci, abolita omni rerum præteritarum memoria?

Et benè cum ijs mortalium, qui prima constituuntur capita gentis vniuersæ, communicat de aliqua sui nominis littera Deus; quos videtur quoque facere participes diuinitatis: *hoc est enim*, inquit Basilius, *esse hominem similem Deo; quòd sua potestate cunctis rebus praeest, & in omnia dominatur animantia*: quanto propinquiùs ad Diuinitatem accedet is, qui princeps esse iubetur, & caput gentis humanæ? Irrisit Græculus nescio quis hanc adeo gloriosam Abrahamo nominis mutationem: neque Deo ipsi pepercit; quòd tam malignè vnius litterulæ præmio suos remunerare-

tur. ſed is, vtì narrat Philo, dignas inſaniæ ſuæ pœnas non multo poſt luit: quandoquidem leui de cauſa, ad reſtim redactus eſt; ne ſceleſtus, & impurus pura morte conficeretur: monuitque nos omnes, ne leue, aut friuolum exiſtimaremus quodcumque à Diuinitate promanat. Obſeruatum fuit in ea nominis mutatione, numquam ampliùs Abrahamum, aut Saraham ad priſtinum nomen regreſſionem feciſſe: cum eorum nepos Iacobus nouum etiam ipſe nomen ſortitus ex beneficio Dei, vt Iſraël nuncuparetur, antiquam appellationem non amiſerit; deinceps dictus Iacobus frequentiſsimè. Quin & in nouo teſtamento, cum Chriſtus è ſuis diſcipulis tribus tantùm, quos habuit chariſsimos, hoc amoris ſui ſingulare documentum fuerit impartitus, vt noui dignitate nominis eos condecoraret: neque Ioannes, neque Iacobus vmquam nouum illud vocabulum vſurparunt, vt audirent Boanerges, id eſt, filij tonitrui: Simon autem dictus ſemel Petrus ad aliam deinceps cõpellationem non reſpondit, niſi ſi ab ipſo ſuo magiſtro, & Domino, à quo ſemel, aut iterum poſtea audiuit Simon. Nimirum habent aliquid

ſupra mortalitatis noſtræ conditionem ij mortalium; quos Deus iubet eſſe prima, & ſumma capita cetegorum: vt nomine, quod habuerunt ab hominibus, non cenſeantur amplius ij, qui nouo nomine accepto ſupra homines eſſe iubentur à Deo.

Quàm ſapienter igitur in conſuetudinem inductum fuit; vt Romani Pontifices, cum primùm ad eum dignitatis gradum acceſſerint, nouum ſibi nomen adſciſcant: quod afflatu Diuinitatis menti noui Pontificis obiectum, ſæpè ſit omen certiſsimum futurorum. Quàm lætis populi Romani acclamationibus, quàm fauſta concurrentium vndique mortalium admurmuratione excepta fuit vox illa è ſanctiſsimo Cardinalium conclaui ante annos decem & ſeptem, qua enuntiatum fuit nomen illud auſpicatiſsimum, ac toti Eccleſiæ in omnem æternitatem venerandum VRBANI Octaui! Permittite me interpretari mentem Pontificis Optimi, immo ipſius Dei. Voluit ille hoc nomine, quod ab Vrbe deriuauit in ſe, illud palàm facere, quàm ſingulari amoris conſociatione Vrbem hanc, atque adeo Eccleſiam hanc Vrbanam ſponſam ſuam amplecteretur

tur; cum qua ita habere volebat omnia communia; vt ab ipsa ne quidem nomine dissideret, ac discordaret. Interim Deus futurorum præscius non ab Vrbe Vrbanum, sed ab Vrbano Vrbem denominabat; cuius consilijs, & vigilanti cura foret ea ab ingruentium bellorum tumultibus, & à dira pestilentiæ grassatione incolumis conseruanda. Profectò si Romulus, qui hanc Vrbem superstitionis execrandæ auspicijs condidit, suo etiam iure nominauit: & is quoque suum ei nomen debuit imponere, qui eamdem Christianis sacris ab omni turpitudine expiatam, conseruauit.

Hæc ita mihi differenti de nominum siue mutatione, siue impositione, venit in mentem visum illud nostro semper ordini grata commemoratione recolendum. cum orandi causa templum ingresso Ignatio non longè ab Vrbe, quò properabat, vt se, suosque Romano Pontifici deuoueret; perspicua in luce per speciem Deus Pater se conspiciendum obtulit, illum, sociosque fidei commendans IESV Filij; qui prope adstabat lacrymabili figura; qualis erat cum supplicijs affectus crudelissimis totum

corpus

corpus miserabilem in modum dilaceratus, Caluarium montem Crucem baiulans inscendebat. cum præsentem igitur Ignatium, ac socios commendationi paternæ morem gerens in tutelam, ac patrocinium Deus Filius recepisset; placidissimis verbis Illum sic affatus est. EGO VOBIS ROMAE PROPITIVS ERO. Quæ res in primis Ignatium mouit, vt confirmatæ postmodùm Societati salutare potissimùm IESV nomen indiderit. Non vna tantùm noui à Deo nominis impositio, siue mutatio, sed multa præterea sunt, quæ si visionem Abrahamo oblatam conferre velimus, cum ea, quæ Ignatio fuit obiecta, faciant, vt vna videatur alteri similis, ac planè gemina; sed temporis angustiæ non permittunt ea me persequi minutatim, quæ vestræ cogitationi permitto libentiùs.

Vnum illud prætermittere non possum, vt ad illud accedam, quod initio proposueram, tertio loco disquirendum. quid causæ sit cur initia Hebræorum Reipublicæ ab eo repetamus ostento, non item nostræ Societatis exordia; quæ ita videri poterant auspicatiora, & meliori cum

omine ducta ex euentó mirabiliori. Rem expediam breuissimè, & in capita contraham disputationem totam, postquam primùm illud posuero; Angelos eos fuisse; qui se videndos obiecerunt Abrahamo; aut alijs in veteri testamento Patribus: quamquàm sæpè Domini, ac Dei nomine censeantur; quia sustinebant eius vices. id quod patet ex Apostolo Paulo Angelum eum vocante, qui legem scripsit Hebræis; qui tamen idem à Mose semper dicitur Dominus, & Deus.

Priscis illis temporibus frequentiores fuere immortalium spirituum cum mortalibus congressiones; & quod maiorem facere posse videtur admirabilitatem: non solùm viri pietate illustres, ac sanctitate Deo amabiles in colloquium cœlestium admittebantur: sed etiam aliqui nulla virtute insignes, aut etiam scelere nobiles. qualis fuit Cainus fratricidio famosus; qualis fuit Agar insolentia in dominam maximè vituperabilis; qualis filius Ismahel in Isaacum legitimum hæredem impudentissimus; quales amici Iobi contra eius innocentiam arrogantes; qualis Balaamus asina magistra dignior, quàm Angeli com-

comminatione; & alij plures, quos persequi non vacat. Cum enim debellato semel Adamo, in quem orbis terrarum principatum contulerat Deus; grassaretur etiam licentiùs in terris, quasi tyrannus dæmon; & specie horribili sæpè visendus terrorem incuteret; suæque potestatis indicia ederet plura; quæ mortalium animis magnam illius adijcerent admirationem, ac timore ab hominibus venerationem extorquerent: Deus quoque paterna vsus in humanum genus prouidentia, spectabili Angelorum custodia sæpè consuluit mortalibus; vt pari consilio dæmonis insidias eluderet: donec ipsum æternum Verbum membris, atque armis mortalibus ipsum aggrediens, æquo belli iure de iniqua tyrannide victor gloriosissimus infamem prædonem deturbauit. Hoc illud est, quòd non veretur aliquando Christus Dominus principem eum vocare huius mundi, non legitimum profectò, sed tyrannum: & hoc illud est, quod aliàs cum forti milite armato illum confert; qui, atrio ædium suarum occupato, pro rerum suarum defensione propugnet acriter, & facultates suas in tuto collocatas habeat virium

 suа-

suarum confidentia: donec alter se illi obiecerit in pugnam robustior. in quo quis non intelligit expressam Christi victoriam? qui dæmonem de iniusta possessione deiecit, armisque exutum, & omni robore catenatum veluti canem, obstrictis quoque faucibus, pueris ipsis, & puellis inermibus, obtulit irridendum. Et verè desierunt post aduentum Christi fallacium Deorum oracula, quod dolebat Plutarchus: desierunt portentosa illa prodigia, quæ tam sæpè legimus in historijs veterum sacris impijs expiata: desierunt examina illa magorum, ac sagarum, quæ ementitis rerum admirabilium euentis, & præstigijs humanam gentem miserrimè infestabant. Quin & litteræ Patrum nostrorum ex Indijs sæpissimè testificantur, in ijs regionibus, in quas nondum inuecta est Christiana fides, reliquias adhuc superesse inferorum tyrannidis in oraculis, in portentis, ac rerum per incantamenta supra vires humanas molitionibus. An non in Septentrione videtur Satanas iterum solium suum collocasse, ac principatum instaurasse hæresi administra? vbi frequentissimum esse magiæ vsum scimus enarratione ho-

minum fide dignissimorum: vt iam credulitatem aliquam à me impetrent narrationes illæ apud Olaüm Magnũ alioqui incredibiles. Noctem igitur illam tam tetram, quam faciebat dæmon tenebrarum princeps, aliqua luce illustrabat Deus, frequenti Angelorum cougressione: sed postquam sol, id est ipse Deus nostram indutus mortalitatem, discussis tenebris, diem terris induxit clarissimum: quid ampliùs fuit opus luce stellarum languidiori? Respublica igitur Hebræorum iactet quantùm velit, se Angelorum præconio fundatam; atque ijsdem propugnatoribus ab incursione idololatriæ vallatam: quando multo ampliùs illud est, quod Pontificis Romani vox auctoritate hominis Dei religiosa instituta confirmat, & præsidio potentiori communit. Quam sæpè irrupit pessima superstitio in gentem illam miraculis tam grandibus, ac beneficijs palmaribus edoctam vni Diuinæ maiestati inseruire! quàm remotiora fuere semper ab omni corruptela religiosorum virorum instituta; ex quibus licet multa prodierint monstra: rarò tamen factum est, vt totus inficeretur coetus.

Adde ſecundo loco morem ſemper fuiſſe Dei rebus ipſis congruentiſsimum; vt ſeruato dignitatis ordine, infima ſupremis per medias res ita connecteret: vt ijs, quæ alijs naturæ præſtantia excellerent, procurationem aliarum rerum committeret: eas verò, quæ imbecillitate naturæ aliorum conſilijs viderentur indigentes, aliorum monitis, & imperio iuberet eſſe obedientes. Peruidit id ita natura quoque conſtitutum eſſe in humano genere Ariſtoteles: cum lib. polit. primo non veretur dicere, ſeruitutem, ac dominatum eſſe à natura. illum quippe natura procreaſſe, videtur ad imperandum, qui præſtat intelligentia; illum verò ad ſeruitutem proieciſſe, qui robuſtior quidem corpore ſit, ſed conſilio, ac ratione quàm minimè valeat: ex quo illud naſcitur, vt nemo certè conqueri de natura poſsit; quòd aliqua illi non ſuppeditauerit ad benè, beatèque viuendum neceſsaria: quia, ſi quiſque naturæ ſuæ ductum ſequi voluerit: ille, qui conſilio, ac ratione eſt imbecilla; ſapienti, ac prudenti neceſſe habet obedire: is, qui pollet intelligentia, prudentiaque, eo vtitur; qui robuſtus eſt, & valens cor-

pore

pore . Mentes igitur illas beatissimas ab omni mortali concretione secretas rerum corporatarum gubernationi præfecerat : prouinciasque distributę alijs allas dederat in administrationem Deus. ij sunt, quos apud Danielem vocatos legimus principes regnorum. ij sunt, qui leguntur in psalmis tamquam principes populorum indicto consilio in medium de rebus humanis deliberasse coram Deo Abrahami; quòd Idololatria nimis magnam terrarum partem à vero Deo videretur abduxisse . ij sunt, qui narrantur in libris Iobi Deo adstitisse, quasi rationem à singulis suæ administrationis repetenti : in quod consilium impudentia sua, & permissu Dei irrupit Sathanas. Et hoc innuit quoq; ex multorum interpretum sententia Moyses in cantico illo Cygneo; cum dixit . *quando diuidebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam : constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum* Israël, siue vt in rem præsentem accomodatiùs apud Septuaginta interpretes iacet ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων θεοῦ *Constituit terminos populorum iuxta numerum Angelorum Dei*. Cum verò dignatus ipse Deus fuit humanitatem nostram induere, & cum

mor-

mortalibus mortalis ipse factus conuersari: procurationem hanc in se suscepit; & ipse vnus dici caput, & princeps voluit generis humani vniuersi: reliquitq; Angelis, vt essent *administratorij Spiritus*, quemadmodum loquitur S. Paulus, *in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*. Ideòque cum frequentissimè adorandos Angeli se permiserint in veteri testamento non tamquam Deos, sed tamquam vicarios Dei, ea venerationis forma, quæ debetur iuris ordine, & dignitatis gradu superioribus: prohibuit tamen bis vnus, & alter eorum suis pedibus Io: Apostolum prosterni, vt legimus in Apocalypsi, addiditq; causam, *vide ne feceris: conseruus enim tuus sum*. Ad eum statum dignitatis extulit humanam naturam suæ diuinitati coniunctam Deus; vt homines pares Angelis iam esse videantur. Ad hoc tam insigne beneficium proludebat Deus; vt antequam ad rerum procreatarum gubernationem proximè administrandam filium dimitteret hominem factum: Angelos cum imperio præmitteret humana saltem formæ spectabiles. Operis enim illius tam ingentis; quod quia humanitatem cum diuinltate copulabat, diui-
nam

nam omnipotentiam terminis circumscribebat suis aliqua ex parte; quasi quædam exemplaria conficiebat Deus in quibus quodammodo se videretur exercere; cum spiritus immortales mortalem faciem iubebat induere: ipsos quoque mortalium animos ad beneficium omnium maximum per minora beneficia præparabat; vt promissa Dei de suo in terras aduentu, cuius obsides habebant Angelos, credula expectatione exciperent: & in multis congressionibus assuefacti Angelos venerari vicarios Dei, documentum ex se ipsis caperent; quam habiturus foret veneratione Deus homo factus, aut Pontifex Romanus vicarius hominis Dei.

In hanc ego sententiam traho Sanctum Paulum sic scribentem ad Hebræos. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis: nouissimè diebus istis loquutus est nobis in Filio*. Quòd enim latinus interpres vertit, multis modis; græcè dicitur πολυτρόπως: cuius vocis ea vis videtur esse; vt ei congruat; qui varias in formas facilè se mutat, nec idem semper apparet. & sanè alloquutum se fuisse prophetas πολυτρόπως Deus ipse testatur apud Oseam. *Ego visionem.*

nem multiplicaui, & in manibus prophetarum assimilatus sum: scilicet ex interpretatione SS. Chrysostomi, Hieronymi, ac Dionysij Alexandrini, per multiplices, ac varias species, quæ similitudinem gerebant mei, in conspectum prophetarum me dedi: donec ipse idem ego, qui loquebar olim in Prophetis, dicerem *Ecce adsum*. Non prætereamus inexplicatam alteram; quam primo loco posuit vocem S. Paulus *Multifariam* grecè πολυμερῶς facit enim in rem præsentem quammaximè: quia ille dicitur apud Græcos πολυμερῶς, apud Latinos *multifariam loqui*, siue minùs latinè, sed magis expressè *multipartitè*; qui non omnia vno tempore, nec simul cuncta proloquitur. Rudius erat primis temporibus humanum genus: & in ætate veluti puerili minùs aptum cœlestibus disciplinis percipiendis: propterea paulatim, ac per partes mortales fuerant edocendi ea, quæ Deo placuisset eos rescire de ipso, deque rebus ad ipsum pertinentibus. & Angelis illi quidem vtebantur magistris, qui vt perspicacissimi sint, ac sapientissimi: notitiam tamen rerum adeo multiplicium, ac maximarum non poterant paucis institutionibus aperire;

re; adeòq; opus fuit, vt eas in scholas plurimas dispertirent: atque ad mortalium animos rerum diuinarum eruditione imbuendos frequentiùs accederent, nec omnia coram vno, ac simul enunciarent; sed alijs alia, ac distinctis temporibus, postquam altè menti prima insedissent. Cum verò Deus ipse fungi voluit præceptoris munere, qui infinitis partibus præstabat sapientia: quod nemo nescit multum valere ad compendium temporis faciendum in tradenda doctrina; cum præterea humana quoq; intelligentia ad cognitionem rerum cœlestium angelicis fuisset institutionibus expolita: intra breue spatium trium annorum, aut paulo plus, quemadmodum ipse profitetur, nota fecit nobis omnia quæcumq; audiuit à Patre suo; vt superuacanea sit in Ecclesiæ institutionem noua alicuius rei, siue per Angelos, siue per ipsum Deum enunciatio. Quàm ardentibus votis id concupiuit Ecclesia, vt magistrum hunc haberet tam præclarum, à quo statim omnia edoceretur? *Osculetur*, illa clamabat, *me osculo oris sui*; quasi diceret, quemadmodum interpretatur S. Bernardus *Quo mihi ora semiverbia prophetarum* adijcere potuisset quo-

quoque Angelorum; *ipse potiùs speciosus forma præ filijs hominum, ipse me osculetur osculo oris sui. non in eis iam, aut per eos loquatur mihi: quoniam tenebrosa aqua in nubibus aëris, nubes autem in sacris litteris non semel Angelorum typum gerunt; sed ipse me osculetur osculo oris sui, cuius gratiosa præsentia, & admiranda fluenta doctrinæ fient in me fons aquæ salientis in vitam æternam.*

Ex hoc illud quoque factum est, vt gubernationis forma non eadem fuerit priscis temporibus, ac nostris. Angeli enim suæ naturæ indulgentes, nec nostræ vmquam imbecillitatis experti, legem descripsere seueriorem, & iugum imposuere hominibus, vt inquit S. Petrus, *quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus*: adeò vt ipse Legislator apud Ezechielem non se contineat; quin illud profiteatur. *Ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia, in quibus non viuent*. interim suppliciorum comminationes aduersùs eos, qui legem violassent, frequentissimæ, & ab omni spe procul veniæ obtinendæ: præmiorum autem aut promissiones, aut largitiones rebus caducis, ac mortalibus continebantur, quòd adnotauit S. Augustinus; id est intra fines earum rerum, quæ poterant

teaant ab Angelo præstari. Quòd præterea tam multis portentis, ac prodigijs populum Hebræum ab omni vindicarent iniuria, ac miraculis tam frequentibus, quæ humanam omnem vim excederent, & splendido suæ præsentiæ obiectu gentem illam facerent alijs, nobis ipsis quoque venerabilem: fuit id etiam eiuscemodi gubernationis effectum; quòd Angeli nihil supra suas vires ausi, potentiæ tamen vim omnem à natura sibi inditam, vltrò, ac libenter impenderent ad tuendum pro dignitate munus suum. Ecclesia verò Christianorum, cuius caput Christus est Deus homo, humano more administratur, idest mansuetudinis, ac misericordiæ plenissimo: vt propterea traxisse nos ille dicatur *in funiculis Adam in vinculis charitatis*. Computruit iugum illud durissimum legis antiquæ à facie olei humanæ, ac diuinæ miserationis. Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia. Et qui didicit ex ijs, quæ passus est, obedientiam. Animauit ille nos suo exemplo ad obseruantiam vnius dulcissimi præcepti, quod à duplici charitate proficiscitur, abolita reliquorum

rum

rum præceptorum tam ingenti multitudine. & hoc quidem nobis hominibus profuit humano capiti, ac principi subesse. Sed quantum attulit non solùm dignitatis, sed etiam vtilitatis, quòd idem esset Deus; qui animum nostrum ea qualitate posset imbuere, quam gratiam vocamus, quia nos gratiosos Deo facit, quæue supra omne debitum naturæ donari ab Angelo non potest: & præterea claram sui visionem posset nobis obijcere pro remuneratione; quæ Angelorum potestatem excedit? Ex hoc etiam illud natum est, vt in Ecclesia nihil oculis obijciatur, quod speciem humanitatis excedat. Omnia hìc in consultationem veniunt, sententijsque in medium allatis, omnia decernuntur, quæ fidem tangunt, aut religionem spectant, & mores: nec aliunde certiora petuntur oracula, quàm ab homine, à Romano Pontifice; cui sine vllo mendacio potest ea vox esse communis cum Paulo Apostolo. *Licet Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis; anathema sit*. Occulto interim afflatu, nec ad aures pertinente, Dei spiritus mentem illius regit; & inoffenso pede manu in speciem non aspectabili

ducit per rectum veritatis tramitem ; à quo Romana Ecclesia vt numquàm aberrauit hactenus, sic neque potest singulari Dei beneficio declinare, Deo proximè similis, & falli nescia, & fallere.

Quis iam adeò vecors, & rerum Hebraicarum admiratione obstupefactus Abrahamo, & eius posteritati inuideat profecta in illum ab Angelis beneficia? aut quis suorum bonorum ignarus, & iniquus æstimator ad illa prima rudimenta reuerti iam velit impolitæ Synagogæ? Quis non gratuletur sibi; caput se habere de suo corpore; neque nunc, vt olim, Angelum esse vicarium Dei: sed homini ampliori cum potestate committi tamquam vicario auctoritatem hominis Dei?

Quantum igitur debemus, Patres, Paulo Tertio Pont. Opt. Max. cuius auctoritate Societas Iesu recepta primùm fuit; & decretis amplissimis ornata! Quos in nobis pietatis sensus excitat, quantum animorum addit ad maiorem Dei gloriam procurandam oraculum illud eius Pontificis: cum instituti nostri formulam subtili trium Cardinalium examine perpensam, probatamque, deinde sibi quoq; atten-

tiùs perlectam sic laudauit, vt *Spiritum Dei in eo esse* grauissimè affirmaret: Spiritum illum; cuius occulto instinctu regebat Ecclesiam; & quo dictante postea litteris amplissimis eamdem formulam confirmauit; & ijs, qui religiosæ, ac sanctioris vitæ studio afficerentur, sequendam proposuit. Hæc sunt prima initia, & fundamenta Societatis nostræ, fundatæ scilicet super illam solidissimam petram; cui dictum est *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. neque sanè *aliud fundamentum potest quis ponere, quàm quod positum fuit à Christo Iesu*. Possumus & nos ex antiquis vaticinationibus plures proferre; quæ Societatem nostram directò spectare videantur. possumus & à miraculis quibusdam, & à cœlestium spirituum, aut magnæ Dei Matris, & ipsius Dei visis, quæ S. Ignatio frequentiùs apparuerant, omine faustissimo repetere nostræ Societatis exordia: sed habemus *firmiorem* Romani Pontificis Apostolicum *sermonem; cui bene facimus attendentes*; propterea quòd ei nullis subiecto fraudibus, nec malignis interpretationibus, nec inficiatione impudenti contradicere possit aduersariorum vlla peruersitas. Ecquis audeat mutire ad-

uer-

uersùs hanc Societatem; quam palàm, ac publicè Romanus Pontifex profiteatur *erectam per se, institutam, & approbatam*?

Et Vrbano quoque Octauo Pontifici Maximo quantum debemus, Patres, qui singulari erga Societatem nostram beneuolentia centesimi, quem agimus, anni celebritatem sua augustissima præsentia condecorauit! id est auctoritate, quæ infra Deum est maxima; immo auctoritate diuina; quam cum illo Deus communicauit, & sanctam, atq; Christianis omnibus iussit esse venerabilem. Non possum eius fortunatissimæ diei repetere memoriam; quin animus voluptate liquidissima perfusus extra se totus in sensum abeat gratulationis, impotens iam aliud in cogitationem admittere. Vellem equidem gratijs pro merito referendis pares voces inuenire: non tamen doleo, quòd parere non possit lingua id, quod animus parturit: quia hac me cura ille idem dies liberauit. Vidit ipse Pontifex, & populus vniuersus, qui frequentissimus confluxerat, vidit emicantem ex vultibus omnium nostrum animi sensum gratissimi: quem ego si tentem verbis describere, nimium quantum im-

[illegible] ...ssimi-

minutum vestris auribus obiecero, dedignantibus tantam fieri veritati detrahendo fallaciam. At qua eloquentia maiestatem illam vultus augustissimi possim describere, candidissima luce beneuolentiæ serenantem omnia, & ad intimas animi nostri fibras beneficentissimo lumine penetrantem. Et ne vnius diei breuis mora tantum gaudiũ coérceret: quantum illud fuit, Patres, quòd aureis, argenteis, æreis numismatis expressam speciem sui dignitatis plenissimam Pontifex coniungi voluerit commemorationi anni nostri centesimi, ad posteritatis admirationem, & inuidiam: & sic palam testificari, sibi, & quod inde consequens est, Deo probari sæculum primum nostri Ordinis suorum munificentia splendidissimè celebratum. Magnam enim verò ætas ventura de nostro hoc primo sæculo animo imbibet existimationem; quòd à Romano Pontifice tam locuples rei bene adhuc gestæ reportauerit testimonium: & animos inde sumet vt traditam sibi hanc Sparcham tueatur, & ornet. Et habet enim verò secundum nostrum sæculum felicissimum omen rei bene gerendæ, quòd initium sumet auspicatissimum ab amplissima beneficentia Romani Pontificis Vrbani VIII.

Finis secundæ partis.

ODDONIS
DE
COMITIBVS

E SOCIETATE IESV

SILVARVM
RHETORICARVM

Pars Tertia,

Siue

CARMINA
MISCELLA.



Seminarij Romani

ALVMNIS
ET
CONVICTORIBVS





ODDO DE COMITIBVS
E Societate IESV.
Benè viuere.

AT vos fidei nostræ Societatis commendatos singulariter, nominatim salutandi mihi fuistis. Non debemus vobis sollicitudinem, & curam vulgarem; quos non tantùm recepimus bo-

nis disciplinis erudire; sed quod maius est, optimis moribus instruere. Alit nẽpe vestrùm magnam partem Ecclesia Romana in spem Sacerdotiorũ: at quantum id est, esse aliorum benè viuendi magistros & verbo, & exemplo. Alteram partem vestrùm nobilitatis Italicæ, & porrò etiam externæ florem dimiserunt isthuc parentes in magnam spem priuatæ, publicæque vtilitatis. Qui futuri sitis vos, vestri antecessores ostẽdant, aut Pontificali tiara caput ornati, aut sacram induti purpuram: plerique in alijs prouincijs infulati; maxima pars trabeati: alij

in toga, & pallio illustres, non pauci in sago nobiles. Quid igitur ad hæc tam grauia poësis res leuissima? Nō est vestra hæc vox, neque opus habeo poësim apud vos commendare; qui, quod sit eius pretium, & pondus, optimè nostis: aliorum sannas, & dicacitatem flocci facio; qui poësim ideo improbant, quòd in ea sint ipsi rudiores. Ex flosculis quoque poëtices eruperunt illa poma, quæ nunc laudata nomen ijs fecerunt, qui ex isto Seminario profecti, laudes ingentes in familias suas, & patriam reportauere. Næ mihi gloriari licet non inaniter, aliqua ex hisce meis

carminibus iucundissima voce fuisse pronunciata Seminarij Romani alumnorũ, aut conuictorum: ac propterea in panegyri frequentissima stetisse, & placuisse? Doleo me non potuisse illam in hunc libellum transferre: sed quia illud non licuit: permittite saltem, vt vestrum nomen inscripta veniant in manus aliorum, propterea non reijcienda. Pergite vos interim in isto Seminario flores legere poëtices, ex quibus sperare possitis: quãquam ex alijs floribus disciplinarum, atque virtutum magis: maturitatem saluberrimam fructuum. Valete.

AD



AD TYRONES POETICAE PROTREPTICON.





Iam satis in tenui lusit labor acer, & vltra
Numquam ausus vetitum, medio se credere ponto,
Littus arenosum securo tramite legit.
Numquam ausus celsas Pindi superare latebras,
Pegasidumque sitire vndas; aut flumine Pimplæ
Subijcere ingenio, & restinguere fontibus æstus.

Carmina nondum ausus Bacchum vidisse docentem,
Capripedes inter satyros; panesque bicornes
Rupe sub exesa; Conuerso cardine postes
Panduntur; via lata patet; licet ire, nouosque
Cernere Lesbiadum colles; licet arua vagari;
Et plenis haurire licet de fontibus vndam.
Tempus adest, iuuenes; mihi quos commisit alendos
Roma parens legum, tempus iam pandere vela,
Atque maris tentare minas; consurgite remis
Assaraci proles reuocato à sanguine Teucri.
Nunc opus est animo: magnis nunc viribus vsus.
Namque per insanos magni vocat æquoris æstus,
Ingenio nondum libata poëtica vestro.
Nec fas est nobis indictam abijsse parentem;
Quæ varias vsu mortalibus extudit artes,
Erexitque animos; Et qua natura ne-
ga-

gabat,
Astra super dedit ire via; pedibusq; volucres
Aptauit pennas; penetrauitque inuia cœli.
Illa etenim stellis numeros, & nomina fecit,
Et certa docuit ratione recurrere olympum.
Illa notho iussit splendentem lumine Lunam,
Cornua parua modò gyro sinuare minori;
Inque orbem toto volui modo fratre tumentem.
Quid, iuuenes, hic plura morer? commercia debent
Huic, legesque viri: qui moribus ante ferinis
Per nemora, & saltus nullà se lege tenebant.
Oppida moliri nondum: se se inter honestas
Iungere amicitias: aut certas ponere sedes
Mortales norant: epulas inculta parabat
Communes tellus brutis animantibus herbas:
Sed summo tandem demissa poëtica coelo

Adfuit, indignoque hominum turbata dolore.
Siccine, ait nullo incultas discrimine filuas
Sanctum animal tygres inter, rabidosque leones
Accolet: oblitumque sui, quo semine factum;
Quiue viro mores digni, quid denique restet
Post fatum; quantum sese super omnia tollat:
Iam bruto similis siluis habitabit opacis.
Quid iuuat, heu miseri, cœlum capita ardua in altum
Erigere, ingeniumque, animamque habuisse capacem,
Et summis mentem capiendis artibus aptam?
Si pecudum ritu, cœli iam cura recessit:
Inque epulis animus sedet, & mens pronior aluo
Indulget: laudum nimis heu oblite tuarum.
Mutandi mores, dominari in cetera disce.
Excute iam de corde feras, finire memento
Victum infelicem, atque tuos renouemus.

uemus honores:
Dixerat: atque leui, citharam nam
forte gerebat,
Pectine percurrit chordas; & carmi-
na dicit.
Tum verò in numerum currentes
vndique turmas
Aspiceres hominum; circumque ad-
stare canenti;
Ad cantus motare pedes; ductosque
noua vi
Humana præter solitum dulcedine
lætos;
Aurea clamores iactare ad sidera
summos:
Vndique sic blando gentes trahit
ore poësis:
Curritur, & populo feruet quondam
inuia silua.
Ac veluti magno in ponto cum
sæpè coorta est
Tempestas; sæuitque animis spiranti-
bus æquor.
Intonuit cœlum; nymboso perstrepit
æquor
Murmure; & ad scopulos tunsa in
mare funditur vnda:
Fluctibus arcentur fluctus; & bella
geruntur:
Tempestas furit; ac cœlum tonat
omne fragore.

Haud aliter dum omnes, ducit quà diua poësis,
Concurrunt: hæret pede pes; vrgetque virum vir.
Voluitur ad cœlum caligine turbidus atra
Puluis; & immunda claram nube inficit æthram,
Non tot alit lucus lybicos Nemeæus alumnos;
Nec tot agit summis veniens de montibus imber
Condier in siluas volucrum denso ordine turmas:
Aut quando sudum cogit ver frigidus annus
Quærere trans pontum; ac terras optare virentes:
Agmina tot volitant auium: quàm multa virorum
Millia festinos properant ad carmina gressus.
Muneris at memor illa sui; delere rigorem
Incipit; & mox humanos inducere sensus.
Paulatimque omnes depellere corde furores.
Iamque acres ponunt animos; atque auspice tali
Mænia constituunt: solioque poësis
ab

ab alto
Inra dabat; iustosque trahebat sorte labores.
Dictus ob id traxisse ornos de montibus Orpheus;
Et mulcere leas; quò vellet ducere tygres.
Dictus & Amphion Thebarum mœnia plectro
Duxisse; & marmor neruis animasse canoris.
Sed si tot vires, si tanta potentia vati;
Quid tardatis adhuc? per mille pericula matrem
Quærite. postquam etenim facinus mortale fugauit
Iustitiam; terras illa indignata reliquit.
Sed quis monstret iter; quò nos quoque tollere tandem
Sublimes possimus humo; & per inane vagari:
Si forsan votis occurrerit obuia nostris?
Vos sequor, Isacidæ, quos alti rector olympi
Imperia, & duros vetuit perferre labores
Niliaci regis; medias iussitque per vndas;

Quæ-

Quærere trans pontum cum liberta-
te salutem :
Auspice quos Moyse, atque alia de-
parte sorore
Virgineos ducente choros, in carmi-
na suasit
Ire hilares, summo demissa poëtica
cœlo,
Commeritasq; referre Deo pro mu-
nere laudes:
Ite igitur, si fert animus, quà
deuocat illa
Non timido, iuuenes, gressu: nec li-
mine in ipso
Segnities firmet pressis vestigia plan-
tis.
Audendum est, iuuenes. ignoto tur-
gida ponto
Vela damus: maneat qui nostros exi-
tus orsus
Ignari: audendum nobis tamen au-
spice tanto:
Esto procul pallor; crimen procul e-
sto pauoris;
Nempè amat audentes; timidosque
poëtica pellit.
Sæpè ratis nimiùm ventosæ tu-
ta procellæ;
Altera cui' pontum, cui palmula ra-
dit arenam:
Altera: dum celetat terris aduerte-
re

re proram.
Ambiguis illisa vadis, in syrtibus hæsit.
Sæpè etiam volucris; quæ non assurgit in auras
Diffidens cœlo se se, aduentantibus euris,
Decidit in casses; aut visco fallitur acri.
Ergo agite, ò iuuenes, nec segni marcida luxu
Ocia, desidiasque animis permittite molles.
Sudores tolerate graues, tolerate labores,
Et studijs animum terite; & date classibus austros:
Qua vocat, impellitque sua vos voce poësis.
Ipsa animos addet, dabit ipsa poëtica vires.
Nec tantùm non cauta tamen fidúcia crescat;
Vt modò vix noti penetralia in alta velitis
Férre gradum, & veteri vos immiscere cohorti.
Non ea vis animo; nec tantùm fidite primis;
Carmina quos afflant tyronum in corda furores.

Immi-

[illegible] petit vl-
[illegible]
[illegible] longo tamen
[illegible]
[illegible] grauiore
[illegible]
[illegible] plerumque
[illegible]
[illegible] & irre
[illegible]
[illegible] pondus, sic om-
[illegible]
[illegible] qui prefferit
[illegible]
[illegible] laudami-
[illegible]
[illegible] vix præ-
[illegible]
[illegible] bonas-
[illegible]
[illegible] ac-
[illegible]
[illegible] fecum
[illegible]
[illegible] pernecta
[illegible]
[illegible] teneri,
[illegible] luci-
[illegible]
[illegible] auiet com-
[illegible]
La-

Labitur infelix, perque infima ſerpit agrorum,
Quæ modò ſub pedibus vidit cœlo æmula nubes.
Illam & ſublimem reliquæ, ac riſere cadentem;
Et fractis rident diſcentem currere membris.
Pergite, & inſuetos humeros onerate recenti
Pondere: ſique libet iuuenili in pectore vires
Naſcentes tumidi ſuperate: trucisque procellæ
Securi; quà primus amor deducit, eamus!
Icarus Ionio ceſſit ſua nomina ponto
Nobilis exitio; dum ceras credere Soli;
Ignotoque audet ſe ſe committere cœlo
Inſuetum per iter. demens: qui iuſſa parentis
Contemnit; curſuque auras perrumpit iniquo.
Phœbæis natus Phaëton daret ignibus orbem:
Ducere dum tentat currus per inane paternos;
Qui nondum premere, & ſciret dare iuſſus habenas:

Ni

Carmina nondum auſus Bacchum vidiſſe docentem,
Capripedes inter ſatyros; paneſque bicornes
Rupe ſub exeſa; Conuerſo cardine postes
Panduntur; via lata patet; licet ire, nouoſque
Cernere Lesbiadum colles; licet arua vagari;
Et plenis haurire licet de fontibus vndam.

Tempus adeſt, iuuenes; mihi quos commiſit alendos
Roma parens legum, tempus iam pandere vela,
Atque maris tentare minas: conſurgite remis
Aſſaraci proles reuocato à ſanguine Teucri.
Nunc opus eſt animo: magnis nunc viribus vſus.
Namque per inſanos magni vocat æquoris æſtus,
Ingenio nondum libata poética veſtro.
Nec fas eſt nobis indictam abijſſe parentem;
Quæ varias vſu mortalibus extudit artes,
Erexitque animos; Et qua natura nega-

ga-

gabat,
Astra super dedit ire via; pedibusq; volucres
Aptauit pennas; penetrauitque inuia cœli.
Illa etenim stellis numeros, & nomina fecit,
Et certa docuit ratione recurrere olympum.
Illa notho iussit splendentem lumine Lunam,
Cornua parua modò gyro sinuare minori;
Inque orbem toto volui modo fratre tumentem.
Quid, iuuenes, hic plura morer? commercia debent
Huic, legesque viri: qui moribus ante ferinis
Per nemora, & saltus nulla se lege tenebant.
Oppida moliri nondum: se se inter honestas
Iungere amicitias: aut certas ponere sedes
Mortales norant: epulas inculta parabat
Communes tellus brutis animantibus herbas:
Sed summo tandem demissa poëtica cœlo

Adfuit, indignoque hominum turbata dolore.
Siccine, ait nullo incultas discrimine siluas
Sanctum animal tygres inter, rabidosque leones
Accolet: oblitumque sui, quo semine factum;
Quiue viro mores digni, quid denique restet
Post fatum; quantum sese super omnia tollat:
Iam bruto similis siluis habitabit opacis.
Quid iuuat, heu miseri, cœlum capita ardua in altum
Erigere, ingeniumque, animamque habuisse capacem,
Et summis mentem capiendis artibus aptam?
Si pecudum ritu, cœli iam cura recessit:
Inque epulis animus sedet, & mens pronior aluo
Indulget: laudum nimis heu oblite tuarum.
Mutandi mores. dominari in cetera disce.
Excute iam de corde feras. finire memento
Victum infelicem. atque tuos renouemus.

uemus honores:
Dixerat: atque leui, citharam nam forte gerebat,
Pectine percurrit chordas; & carmina dicit.
Tum verò in numerum currentes vndique turmas
Aſpiceres hominum; circumque adſtare canenti;
Ad cantus motare pedes; ductoſque noua vi
Humana præter ſolitum dulcedine lætos,
Aurea clamores iactare ad ſidera ſummos:
Vndique ſic blando gentes trahit ore poëſis:
Curritur, & populo feruet quondam inuia ſilua.
Ac veluti magno in ponto cum ſæpè coorta eſt
Tempeſtas; ſæuitque animis ſpirantibus æquor.
Intonuit cœlum; nymboſo perſtrepit æquor
Murmure; & ad ſcopulos tunſa in mare funditur vnda:
Fluctibus arcentur fluctus; & bella geruntur:
Tempeſtas furit; ac cœlum tonat omne fragore.

Haud aliter dum omnes, ducit quà diua poësis,
Concurrunt: hæret pede pes; vrgetque virum vir:
Voluitur ad cœlum caligine turbidus atra
Puluis; & immunda claram nube inficit æthram,
Non tot alit lucus lybicos Nemeæus alumnos,
Nec tot agit summis veniens de montibus imber
Condier in siluas volucrum denso ordine turmas:
Aut quando sudum cogit ver frigidus annus
Quærere trans pontum; ac terras optare virentes:
Agmina tot volitant auium: quàm multa virorum
Millia festinos properant ad carmina gressus.
Muneris at memor illa sui; delere rigorem
Incipit; & mox humanos inducere sensus.
Paulatimque omnes depellere corde furores:
Iamque acres ponunt animos; atque auspice tali
Mænia constituunt; solioque poësis
ab-

ab alto
Inra dabat; iustosque trahebat sorte labores.
Dictus ob id traxisse ornos de montibus Orpheus;
Et mulcere leas; quò vellet ducere tygres.
Dictus & Amphion Thebarum moenia plectro
Duxisse; & marmor neruis animassé canoris.
Sed si tot vires, si tanta potentia vati;
Quid tardatis adhuc? per mille pericula matrem
Quærite. postquam etenim facinus mortale fugauit
Iustitiam; terras illa indignata reliquit.
Sed quis monstret iter; quò nos quoque tollere tandem
Sublimes possimus humo; & per inane vagari:
Si forsan votis occurrerit obuia nostris?
Vos sequor, Isacidæ, quos alti rector olympi
Imperia, & duros vetuit perferre labores
Niliaci regis; medias iussitque per vndas;

Quæ-

Quærere trans pontum cum liberta-
te salutem :
Auspice quos Moyse, atque alia de
parte sorore
Virgineos ducente choros, in carmi-
na suasit
Ire hilares, summo demissa poëtica
cœlo,
Commeritasq; referre Deo pro mu-
nere laudes:
Ite igitur, si fert animus, quà
deuocat illa
Non timido, iuuenes, gressu : nec li-
mine in ipso
Segnities firmet pressis vestigia plan-
tis.
Audendum est, iuuenes. ignoto tur-
gidi ponto
Vela damus : maneat qui nostros exi-
tus orsus
Ignari : audendum nobis tamen au-
spice tanto :
Esto procul pallor; crimen procul e-
sto pauoris;
Nempè amat audentes; timidósque
poëtica pellit.
Sæpè ratis nimiùm ventosæ tu-
ta procellæ;
Altera cui pontum, cui palmula ra-
dit arenam:
Altera : dum celetat terris aduerte-
re


re proram.
Ambiguis illisa vadis, in syrtibus hæsit.
Sæpe etiam volucris; quæ non assurgit in auras
Diffidens cœlo se se, aduentantibus euris,
Decidit in casses; aut visco fallitur acri.
Ergo agite, ò iuuenes, nec segni marcida luxu
Ocia, desidiasque animis permittite molles.
Sudores tolerate graues, tolerate labores,
Et studijs animum terite; & date classibus austros:
Qua vocat, impellitque sua vos voce poësis.
Ipsa animos addet, dabit ipsa poëtica vires.
Nec tantùm non cauta tamen fiducia crescat;
Vt modò vix noti penetralia in alta velitis
Ferre gradum, & veteri vos immiscere cohorti.
Non ea vis animo; nec tantùm fidite primis;
Carmina quos afflant tyronum in corda furores.
Immi-

Imminet à tergo, & duras petit vltio pœnas:
Moliturque moram; longo tamen interuallo
Proxima; vt impellat casu grauiore superbos.
Grandia deficiunt nerui plerumque professos:
In medioque labant vires; & ferre recusant
Impositum audacter pondus; sic omnia perdet;
Qui nimis altum vrget, qui presserit infima nondum...
Qualis arenoso turris fundamine nixa,
Non multas passura hyemes: vix prælia brumæ
Sidere sub primo ingeminant boreasque notusque;
Fluminaque hybernis concurrunt aucta tributis:
Concutitur; magnamq; trahit secum alta ruinam.
Aut qualis misero volucris prouecta volatu,
Natali dudum nido indignata teneri,
Aërias penetrare domos; dum lucida tentat
Regna poli; nebulisque audet committere pennas.

Labitur infelix, perque infima ſcerpit agrorum,
Quæ modò ſub pedibus vidit cœlo æmula nubes.
Illam & ſublimem reliquæ, ac riſere cadentem;
Et fractis rident diſcentem currere membris.
Pergite, & inſuetos humeros onerate recenti
Pondere: ſique libet iuuenili in pectore vires
Naſcentes tumidi ſuperate: trucisque procellæ
Securi; quà primus amor deducit, eamus!
Icarus Ionio ceſſit ſua nomina ponto
Nobilis exitio; dum ceras credere Soli;
Ignotoque audet ſe ſe committere cœlo
Inſuetum per iter, demens: qui iuſſa parentis
Contemnit; curſuque auras perrumpit iniquo.
Phœbæis natus Phaëton daret ignibus orbem:
Ducere dum tentat currus per inane paternos;
Qui nondum premere, & ſciret dare iuſſus habenas:

Ni

Ni Rex omnipotens egisset fulmine ad vmbras.
Illum effert cœleste patris genus ab Ioue summo;
Et pater ipse poli rector; cui sidera parent;
Quo præceps in se circum duce, voluitur annus:
Audax ille tamen patrio delabitur axe
Pulsus aui telis: nec Phœbi gloria patris;
Nec domus alta Deûm sanguis, lacrymæque sororum
Eripuere neci, aut crescens cum corpore virtus.
Laudem adeo reliquam laudum premit alta cupido:
Quantùm ingens Cererem tassi premit vmbra venenis.
Ite igitur medij quà confidentia ducit;
Quaque anceps retrahit timor: & iam assuescite Pindo.
Hac iter ad cœlum est. sic famam extendere factis,
Sic datur æternos extendere nomen in annos.



Canticum
MOYSIS,
ET
MARIAE

Exod. XV.

Carmine latino expressum.





Isacidæ, gens ò nimium dilecta Tonanti,
Isacidæ mea cura, malis exercita quondam
Isidis imperijs: duris nunc libera vinclis
Redde Patri mecum meritas pro mu-

munere laudes.
Ille insectantem pelagi per aperta tumentis,
Tollentemque iras, minitantemque vltima Regem,
Præcipitem deiecit equo. Phariasq; cohortes
Oppressit, vili mulctatas funere, ponto.
Ille meæ vires inuictum ad fortia robur
Sufficit: illius post hac mihi numina laudum
Argumentum ingens, solito non more canendum:
Ille manus longo doctas iam temporis vsu
Vile ministerium; & vinclis parere volentes,
Segnitie increpita, facta ad maiora resoluit;
Abrupitque iugum. mihi post hac ille tenebit
Vnus odoriferis vittatas nubibus aras:
Et tenues quantum suadebunt reddere vires;
Quà mare longinquas circum tenet æquore terras
Nomina venturis committet gloria sæclis.
Ille mihi Deus vnus erit, cui sæpè ca-

Enſe patrum ſacro nitida ante altaria taurus.
Illum ego ſublimem, factiſque ingentibus altum
Digna laude feram facunda per ora virorum.
Qualis, vbi lachrymoſa vocant certamina, miles
Sanguinis aſſuetum perfundi flumine ferrum
Induitur, loricam humeris, clypeumque ſiniſtræ
Inſertat, duplicique accingit robore pectus:
Non ſecus è cœlo noſtram inſtaurare ſalutem
Adfuit; atque inimica fugæ dedit agmina numen.
Cuncta potes quæcumq; velis, quem nulla fatigant
Ardua, quid tua non ſuperet diuina poreſtas?
Ille Parethonias reuolutis perdidit vndis
Armatas in bella manus: curruque frementem
Quadrijugo, atque implorantem ſocia agmina fruſtra
Impulit in pelagus, demerſitque æquore regem;

Et

Et quos regis amor populis exèmerat olim;
Priscaque nobilitas, aut facta ingentia patrum;
Et quibus imprudens oculis fortuna benignis
Riserat, ingressis periturae limina vitae:
Sanguineis propero fatum pede sorbuit vndis.
Nec iactata salo priùs inuenere quietem
Corpora, quàm penitùs limo incubuere profundo.
Non secus ac alto demissum ex aggere saxum
Pondere natiuo sedes sibi destinat imas.
O hominum Pater exeruit tua dextera vires,
Deiecitque inimicum acrem. Dum sidera pascet
Summa polus, dum tu rerum immortale tenebis
Imperium: in seros memorabitur vsque nepotes,
Aequore Niliacos te debellasse furores.
Illos haud aliter, quàm cum leuis ignis inanem
Corripuit stipulam: in cineres tuus im-


impetus egit.
Incubuit pelago diuinæ ſpiritus iræ;
Et glomerauit aquas: trepidantiaque æquora iuſſit
Segnitie oppreſſos malè grata ſiſtere curſus.
Qualia tunc animo mendax ſibi ſomnia finxit
Niliacus miles? tremefactum protinus agmen
Turbinis in morem ſequar; & pede feruidus hoſtem
Vrgebo ſugientem; & vilia corpora duro
Enſe metam: exuuias, collectaſque arte doloſa
Reddet opes: dabit ille mihi, quodcumque parauit
Infecti, factique auri, vota impia cœlo
Facturus: ſequar, atque aciem mucrone recluſo
Sanguineam ſitientem animam ſub pectore condam.
Rurſus Erythræis victrix equitauit in vndis
Cœleſtis nulli ſuperabilis aura furoris;
Rurſus anhelantes properarunt flumina curſus,
Conceptaſque animo dederunt ludibria ponto

Di-

Diuitias, equitesque graui oppresse-
re ruina.
Non secus ac vndis plumbei com-
missa metalli
Massa grauis, fundo fluitantem ver-
berat algam.
Quis tibi nunc bello se fiden-
tissimus heros
Conferet, aut magnis ausit non sur-
gere factis?
Tu superis gratus, terræque, here-
boque tremendus;
Tu dignus, quem laude ferant, cui
carmina dicant
Mortales animæ, & gemino medu-
lamine cœlum.
Munere te quicumque tuo vitales
ebibit auras,
Mortalesque, feræque, & quos te-
net aurea coeli
Regia, magnorum mirantur voce si-
lenti
Effectorem operum. dextram tu sœ-
ua minantem
Exitia, obiectas minitanti funera
Nilo;
Niliacosque duces fugientum terga
sequutos
Opprimis; & rapido gentes vorat
æquor hiatu.
Isacidum tu præduros miserate la-
bores

bores;
Isaica exemptos rigidi ditione tyranni,
Antiquis, multo suspensos numine, terris
Induxisti iterum: sedes gratissima quondam,
Et rursus regnanda tibi. Surrexit in iras
Proxima gens, patrijs è sedibus exturbanda.
Sed tamen ante alios populos exercuit ingens
Ira Philistæos; lacrymasque excussit acerbas.
Addunt se socij nequicquam in bella dolentes,
Et quos nutrit Edom, quos & Moabitica regna,
Siue Chananæis vlulata furoribus arua.
Vis tua summe Pater pauidis horroribus illos
Impellat, subitusque tremor per pectora serpat.
Et qualis medio torpescit in æquore cautes:
Sic rigidæ, precor, arescant in prælia dextræ.
Donec ad optatas tuus hic exercitus ædes

Carpat iter tutum, neque tu rerum alta potestas,
Et Deus, Isacidum princeps audire recusas,
Euenient. duce te tandem tua regna tenebunt:
Isacidæ, tua regna; quibus tu dite locasti
Imperium Solymæ; validasque in montibus arces;
Quos medius nitidis Iordanis perfluit vndis.
Imperium æternos Deus vltra protrahet annos.
Nempè equites, currusque ad apertis fluctibus audax
Credidit, & sectis Pharao sese intulit vndis.
Sed solito turbari iterum Deus impete pontum
Jussit, & audaces in mole oppressit aquarum.
Interea Isacidæ tulerunt vestigia sicco
Fida mari, & Phario se proripuere tyranno:



In exortu

BEATÆ VIRGINIS

MARIAE

GENETHLIACON.





Nascere diuini rutilans Aurora diei,
Expectata diu, terris, & nascere cœlo.
Iam tibi nox inimica fugit, totoque coactæ
Diffugere polo tenebræ, tibi plaudit eunti
Aligerum pennata cohors; queis picta nitentis

Penna humeri depingit ebur; queis culta flagellat
Cæsaries promissa thoros, malasque supremas
Aurea iam dubiæ lanuginis vmbra colorat.
Panduntur cœli portæ, summique patescit
Regia magna Dei; superûm facto agmine turbæ
Cantantes sublimè ruunt, & lumine clarum
Inficiunt meliore diem, terrisque propinquant
Densati; mediusque aër decrescere visus.
Virgo etenim paritura Deum, lapsique ruinas
Instaurare poli, terrisque afferre salutem
Nascitur, & clari noctem prænuncia solis,
Terroresque fugat vanos, & gaudia portat.
Huc age, cœlicolum quo se se effudit olympo
Vulgus; & integræ laudes iterare puellæ
Incipe lætum hominum genus, & duplici agmine castas
Demulcete aures, & læto carmine cu-

O quantùm hæc alias inter pulcherrima Virgo
Enitet! O quantum decus indole spirat ab illa!
Vt ſpineta inter, tribulos, lappaſque tenaces:
Dædala ſubmittit candentia lilia tellus;
Lilia, quæ ſpinis circum indignata teneri,
Abducunt altè caput à tellure nouerca,
Defenduntque rubis; & ſpinifero comitatu.
Tu ſuperas tantùm reliquas formoſa puellas,
Quas tulit alma Sion; quantùm viburna cupreſſis;
Quantùm Pæſtanis cedit ſaliunca roſetis.
Aeſtuat in venis ſanguis, perque ora volutus
Purpurat, & niuei ſucantur murice vultus.
Par niuibus facies teneris, & candida parte,
Parte rubet; qualem nondum matura colorem
Poma trahunt, & qualem purpureis amaranthis

Iuncta ligustra ; aut qualis luciferæ auroræ,
Esse solet ; Phœbum cum nuntiat alma serenum,
Lætitia hic multo ridens frontem explicat auro,
Hinc grauitas nitet, ingenui sed plena pudoris,
Demittitque supercilium, quam sæpè relaxat
Risus, & infanti vultum vetat esse seuerum.
Hic benè conueniunt, vnaque in sede morantur
Maiestas, & amor ; vultus gerit illa verendos,
Quos mites effingit amor, blandosque fatetur.
Spirat in ore lepos, & gratia ridet in ore,
Ludit amor, pubescit honos, & quidquid vbique est
Formosi, ex illa quis non putet indole duci?
Hìc pudor ingenuus, discincto gaudia risu,
Hìc virtus, & in hac posuere cubilia fronte
Gratiaque, & laudes omnes, æquumque, fidesque,
Et secura quies habitat, plenoque vo-

voluptas
Alma ſinu, & placido mitis concordia vultu.
Quin etiam reliquæ, quas cœlo Aſtræa reduxit,
Poſtquam interdicta decerpſit ab arbore pomum
Credulus heu nimis, humani qui ſanguinis auctor
Et genus, & ſtirpem longo poſt ordine læſit;
Huc iterum reduces innoxia numina laudes
Deuenere; illæ laudes, queis crimine patrum
Progenies vacat, ac ſcelerum ſub faſce laborat.
Non etenim huic maculam genitalia crimina inurunt,
Aut vllam iniecere notam, aut peperere dolorem.
Hæ circum ludunt cunas. pars carmina dicit,
Pars citharam digitis, & pectine pulſat eburneo.
Partem etiam feſtis iuuat indulgere choreis.
Virginis aſt omnes hærent in imagine, & alto
Suſpirant è corde, ſacroque trahuntur amore:

 Quid-

Quidquid & illa facit, certatim protinus omnes
Fingere nequicquam magno conamine tentant.
Si iucunda quies candentes irrigat artus,
Molliaque humenti declinat lumina somno:
Gratia dormit, amor dormit, dormitis honores.
Si somno excutitur, si tollit candida lecto
Brachia, complexura patrem; aut festiua pependit
Dulce parentis onus de collo matris eburneo:
Mollia si patri, si diuidit oscula matri,
Inspirat tacitè flammam, sensusque pudicos.
Exedit aut teneros si mollis cura medullas
Naturæ, & generis dolor in peiora labantis;
Et noxæ gemit immunis; si lumina gemmis
Non suus infecit dolor, & duo sidera molli
Rore natant; lacrymasque auidis effundit ocellis.
Hoc & agunt omnes, atq; hoc imitantur

tantur amores;
Hoc honor, hoc virtus simul, & socia agmina fingunt.
Interea ante alias prope cunas adsidet aureas
Virginitas, atque his ita vocibus ora resoluit.
Salue Virgo, diù votis quam exoptat olympus
Omnibus, & tota dotalis mente recepit:
Sæpiùs, & promissa mihi; dum arcana recenset
Fatorum Pater, atque ægro me conde dolentem,
Quòd mihi claudantur terræ, solatur amatam.
Ne dubites, ait ille, manent, semperque manebunt
Regna immota tibi, neque me sententia vertit,
Nascetur sacra Dauidis origine Virgo,
Imperium tibi quæ tollens tua signa per orbem,
Terminet oceano, atque omnes latè edomet oras.
O quot se iungent gentes, dum pulchrior ipsa
Agmina deducet pulcherrima. Phœbus Eoo;

Qtà se primus agit, quà flumine mergit Ibero,
Sub iuga demittet Seres, demittet Araxem,
Extremosque hominum Morinos, fortesque Britannos;
Atque inuisa olim Romanis regna maniplis.
Tunc mala cogetur segnis perferre libido
Exilia, & populis reddes tu iura vocatis.
Hæ tuæ erunt artes, dominari, & scribere leges,
Pellere corruptos mores, & ponere castos.
Iàm venit illa dies fortunatissima, quæ me
Regnantem cœlo, terrarum in regna remittat.
O niue candidior Virgo, clarisque lapillis
Splendidior, gemmisque, & vellere mollior aureo,
Pupa meæ vires, mea maxima sola voluptas,
Summi cura Dei, mundi spes vna cadentis,
Solaque, quam Phlegeton, & amari regia ditis,
Et nigra paueant stygij formidine ma-

manes:

Blandula pupa, leui risu cognoscere matrem
Incipe, iucundùm vultus duo sidera torque;
Terrasque, tractusque maris, cœlumque serena.
Blandula surge thoro, & collo duo brachia necte,
Brachia candidulis non concessura ligustris.
Pupula iunge oculis oculos, iunge oribus ora,
Labraque complexu casto compone labellis.
Hæc etiam, cœli subter labentibus annis,
Brachia complexu molli diuina fouebunt
Numina, mortalem non indignantia matrem.
Scilicet vna Dei proles, quam fudit ab alta
Mente Deus, magno soboles æquæua parenti,
Par laudum censu, & magni par numinis hæres,
Induet humanos artus, puerilia membra
Induet, intemerata tuo de sanguine membra.

Mox etiam illæsi seruans bona iura pudoris,
Arcano tumuisse sinus mirabere partu.
Quem regio non vlla satis, non terra coërcet,
Non maris vnda capit, nec quod tegit omnia cœlum,
Mundi opifex, mundoque suo tamen amplior ipse,
Virginis inclusus gremio, per sidera quantus
Ludebat, mundum cum surgere iussit in auras,
Ludet mox infans, paruoque sub orbe latebit.
At tibi quantum ille ò pleno deducet ab axe
Muneris, ò quales flammas, quos pectore sensus
Virgo bibes? dum Bethlemia sub rupe iacebis
Auctorem paritura tuum. iam diuide mecum,
In partemque voca; nobis hæc munera debes:
Non veniunt tibi tota, mea est pars tertia terris.
Tertia pars concessa: tua est pars tertia Virgo.
Sed quid ego iustum impatiens ac-

cerscere tempus.
Tento audax : venient hæc post, iam carmine cesso.
Interea depone iterum tua mollia molli
Membra thoro, tenuem dum nos in lumina somnum,
Dum tenues lallas cantando, dulce ciemus.
Iam canite, ò sociæ, citharas iam tangite plectris.
Plaudite iam pedibus choreas, mea pupula dormit.
Iucundùm vt dormit, dormi, mea pupula dormi;
Sic ait, & blandæ furtim rapit oscula natæ;
Verba premit, mandat socijs quæ denique restant.






In coronatione

BEATÆ VIRGINIS

MARIAE





Andite nunc Helicona, & læta rosaria Cyrrhæ
Pandite Castalides; dein floribus vndique lectis,
Virginis huc agite implicitis redimire corollis
Commeritum caput, & violis adnectite cœli
Sidera; quas lentus Permessidos educat imber.
Tuque ò Virgo vllis numquàm violata Hymenæis,

Clara atauis, proauisque, & sanguine regis ab alto
Edita; quæ titulos, concepto Numine, patrum
Luce noua vincis; cœli cui detulit aurea
Sceptra Deus, gremio cum se secondidit ille
Virgo tuo: tibi quæ calathis noua munera plenis
Pieridum sacra turba ferunt, ne despice, vultu
Auersata graui. duodeno sidere quamquam
Tempora pulcra nitent: ficto seu lumine signent
Ornamenta animi; tibi seu Pater almus honorem
Addidit hunc: te cum cœlesti in sede locauit
Reginam, sociamque in regna superna vocauit,
Quamquam sol radios gyro breuiore coërcens
Virgineos artus circumplexatus, & ardens
Lumen, & æthereos adflat tibi lucis honores.
Quamquàm seruitio pridem ancillata fideli
Luce vaga, nocturna pedes tibi luna

co-

coronat.

Tu, superùm comitante manu, caput inseris astris;
Natus vbi æthereum, iam tum tibi destinat aulam;
Cum Patris accitu; nostro rediuiuus ab orbe
Imperij sumptis dexter consedit habenis.
Vidit inaspectas cœlestis regia pompas,
Et muliebre decus mirata, & imagine rerum
Obtutu confusa stetit tacito: stupet illa
Inscia, dumque trahit dubiam sententia mentem
Multa super Maria rogitat, causasque triumphi
Inquirit; cur & mortalibus ante negatos
Fœmineæ rector virtuti cernat honores?
Quæ noua se mulier cœli regionibus infert?
Non secus ac vmbras oriens cum dimouet orbis,
Et reuehit lucem tenebris aurora fugatis.
Aut qualis toto cum Cynthia sole tumescit

Lu-

Luminibus grauida, & morienti iusta celebrat
Mœsta pio fratri, terris & lumina supplet.
Aut etiam medio qualis iaculatur ab orbe,
Emensis cœli spatijs maioribus, ignes
Sol, qui terrarum, cœlique opera omnia lustrat.
Et quæ desertis exsurgit fœmina campis;
Cui mens delitijs opulenta exundat, amanti
Nixa suo? purum volat illa per æthera velox:
Sicut odoratam rogus alta ad sydera nubem
Erigit, in quem omnes merces sudere Sabæi,
Et myrrhæ lacrymas, confusaque balsama thuri.
Cui Phœnix Arabum de siluis addidit herbas,
Effœtam senio vitam reparare potentes.
Hæc dum noctiuagæ Lunæ miranda videntur,
Dum stupet illa decus: dominam venerata, sacratos
Labitur ante pedes, & diuidit oscula supplex.

Virginis illa novo tum fertur capta decore,
Hos optasse pedes cœlo sibi Luna relicto.
Haud aliter paleas ignoto succina vinclo
Gemma trahit, ferroque lapis magneticus horret:
Quin etiam magnum hoc cæli spirabile lumen,
Siderei rector populi, miratus euntem,
Segnitiem increpitans celerem, dum protinus ardet,
Oscula odorato pronus defigere limbo,
Restitit attonito similis, cœlique, viæque
Immemor, & sacra diuelli veste recusat.
Dictus ita Alcides populos traxisse volentes,
Numquá armis domitos, blando sermone, catenis
Et vinxisse aures, fuluo sed mitibus ære.
Sic olim siluas etiam de montibus Orpheum
Ducere finxerunt veterum mendacia vatum.
Fabula sed cedat, solem tua forma stu-

ſtupentem
Impulit, & cœlo noua per veſtigia, Virgo,
Ire iubet, ritu famulari terga ſequentem.
Cetera quid memorem, quos aurea ſidera honores
Contulerint; quanto, facto ſimul agmine, plauſu
Certauere ſuis reginam inducere regnis?
Non illam tenuere moræ, greſſuſque repreſsit
Cynthia, quam ſtupuere omnes de nocte choræas
Ducentem; aut numquam tenuit ſatis Heſperus vlli
Spectatus, Phœbique iter admirabile; ſiue
Cœlum oriens retegat, ſiue intercludat in vndas
Occiduus; non te rigido Mars impius enſe
Terruit; aduentum quàmquam veneratus herilem
Frangit atrox ſe ſe, mollitque, ac temperat iras.
Scilicet ad ſummi vocat aurea tecta Tonantis
Filius, & superùm demiſit ab æthere pompam,
Pone

Pone sequens . Mariæque iterum percussus amore
Pronus in amplexum ruit , & noua numina magnæ
Matris honore nouo cœli colere agmina iussit .
Qui tibi tum Virgo sensus ? quæ gaudia menti
Insidunt , quanti percellunt pectora amores ?
Aduocat hinc natam Pater , & vocat inde parentem.
Filius , hinc vtroque fluens de numine numen
Par vtrique , sacro dignatam Spiritus olim
Connubio , donis cœlo dotalibus auget ,
Tu tamen interea facili bona respice vultu
Terrarum sola , & iratum , extremumque minantem
Exitium , precibus Patrem lenire memento .
Sic iubet ille , grauemque procul deponere coge
Iram animo , dextrisque ereptum disiice fulmen ,



In funere

P. BERNARDINI STEPHONII SABINI

E SOCIETATE IESV

Poëtæ, ac Oratoris insignis

EPICEDIVM.





V quoque, mortali non dignus viuere fato,
Bernardine iaces, lacrymis permittere habenas
Nemo vetet. quanti percellunt corda dolores!
Quam magnum gliscit vulnus sub pe-

pectore ! sic tu
Bernardine decus telluris grande Sabinæ :
Sic tu Romanæ laus olim prima palæstræ
Morte taces subita ? quanta in suspiria, quantas
In lacrymas mittis ? quos olim voce magistra
Formasti bonus, aut deserta per ardua Pindi
Duxeris, aut illos latias Ciceronis in artes
Miseris eloquio, rebus par vnus vtrisque
Ante alios patrij vos luctum, ducite colles,
Ite boni in lacrymas : tibi tanti patria alumni
Terra Sabina graues gemitus, tristesque querelas
Præcipio infelix vates : quo diues alumno
Sidera sublimi feriebas vertice, terris
Nil cessura, pigris quas Mincius eluit vndis,
Inferior non Arpinis, non collibus impar,
Pindaricum qui Romanas vetuere camænas
Inuidisse melos : iacet atra morte per-

Occubuit tuus ille. O quantum hæc vnica verba
Excutiunt lacrymarum? ah quantis ora madeſcunt
Imbribus? ò quanta ex imo ſuſpiria corde
Elicui? ad mæſtas nil durius accidit aures,
Nulla vnquam tanto digna infortunia luctu.
Cui nunc ſufficiant animi componere mentem
Legibus in lacrymas abeuntem? quis dare iura
Audeat, & vinclis fletus cohibere ſeueris?
I lacrimis ſatiare tuis, æquare dolorem
Si lamenta queunt. Iungat ſuſpiria tecum
Solertes quæcumque viros in carmina miſit,
Aut dedit eloquio mater fœcunda virorum.
Huc igitur crines atra redimita cupreſſo
Græcia muſarum genitrix, quò flebile funus
Inuitat; quàm ſæpè libens tua rura petebat,

In-

Inque tuos quàm sæpè dabat se se ille recessus?
Audaces animos, & fontes vnde bibebat
Integros, non ante haustos. tibi plurima debet
Ille quidem, sed tu tanto quoque Græcia debes
Multa viro, paucis vix dudum cognita. quantus
In laudes erat ille tuas? documenta iuuentæ
Seu daret, & iuuenes versu formaret agrestes;
Siue senes inter grandes cunabula prima
Doctrinæ repetens, longo sermone latentes
Eloquij claro retegebat lumine pompas.
Huc ades, & natam crudelia fata gementem
Consolare parens: si verba medentia luctus
Denegat, atque vnus mentem dolor occupat omnem;
Singultus conferte pares, & vtrique peremptum
Communi, licet hoc vnum, persundite fletu.
Ista dolor gratus solatia quærit a-
cer-

cerba;
Tuque ò magnorum genitrix Roma alta virorum,
Quam coluit, Graijs olim sapientia victis,
Pone habitus lætos, lugubres præcipe cantus,
Funereasque togas. ò quantum hoc funere perdis
Roma virum? quantum fandi tu copia perdis?
Huc reliquæ tecum socijs plangoribus vrbes,
Mantua Virgilio felix, Verona Catullo,
Et Venusinus ager de nomine vatis Horatij
Nobilior, tuque ò Annææ patria gentis
Corduba, Callimacho Meuania lœta Latino,
Egelidusque leui Sulmo Nasone superbus;
Assuetæ tales orbi producere quondam,
Et deflere viros assuetæ; quò noua luctus
Funera primæuos repetunt; vbi luget alumnum
Irriguus Mandela suum, pro flumine voluens

In mare Tyrrhenum lacrymas: ad funera numquam
Commerita, insigni vos tollite laude merentem.
Illius ingenium fieri sibi talia poscit.
Ingenium felix, primo quod conferet æuo
Posteritas, pressoque leget vestigia gressu.
Sic ille antiquos digno veneratus honore,
Quos habuit post æquales, pede feruidus acri
Pressit; & exemplo monuit meliore sequendos.
Vos cœlum interea singultibus interruptis
Rumpitis, hoc superest vnum post funera grati
Argumentum animi: quis non dignetur amaro
Hunc hominem gemitu? cui non è corde mouebit
Tristia Bernardine tuum suspiria funus?
Deficiunt lacrymæ mala nec lamenta dolorem
Iam toties explent repetita. ah lumina frontis
In madidos imbres fluite; in suspiria pectus

Rum-

Rumpere; nam ruptis etiam num flebile venis
Vulnus alit dolor, & grauioris semita plagæ
Alta patet, neque dum placant solatia mentem.
O dolor, ò gemitus! fatali morte peremptus
Occubuit: nulli datur ampliùs ora tueri,
Colloquium nulli tecum miscere, nec vlli
Ampliùs argutas audire, & reddere voces
Fas erit. in miseras erumpite corda querelas,
Ite nouos oculi in fluuios, preme carmina luctu
Terra Sabina nouo, nec enim deflere voluptas
Hausta satis, motoque latrant præcordia tactu.
Bernardine iaces, quis non hæc verba sequatur
Et fletu, gemituque, & luctisono vlulatu?
Occidis, ò quantum rapis vna voce bonorum.
Vno, eodemque rogo infertur diuina poësis:
Ingenium velox rebus sublimibus aptum,
 tum,

tuai,

Magnorumque capax, iisdem facundia summis

Vritur eloquium, rapidi quod fluminis instar,

Dulcius hiblæisque fauis ex ore fluebat:

Et dotes reliquæ, & pietas comitata sorores.

Omnia sæua dies tumulo dedit, & grauis vna

Hora tulit, nobis meminisse, ac flere relictum est.

Quis nunc Parthenopem properati nuncius ibit

Funeris? atque illi poterit quis lumine sicco

Enarrare necem, sæuosque indicere luctus?

Ille ibi iam penè extinctum, iam penè sepultum

Restituit, meritoque iterum donauit honoris.

Munere, candorem latij sermonis: & illum

Ingredientem vrbem sectatus passibus iisdem

Redditus vrbe noua gressus illo auspice fixit;

Quæque irata tuis nuper decesserat aris

An-

Antiquos cultura lares, hoc vsu sequestro
Tecum inijt pacem diuina poëtica; leges
Fœderis ille noui, musis in regna remissis,
Sanxit voce graui; quas non violenta vetustas
Rumperet, & numquam venturum frangeret æuum.
Si bene quid de te doctæ meruere camenæ,
Si meruit, nomenque fuit tibi dulce poësis:
Hoc velit, vt sublimem illum popularibus auris
Cœlo commeritum, superis, sæclisque redones
Venturis; nunc Mœonij, nunc carminis vsus,
Nunc eget eloquio res; quàm profeceris omni
Arte sagax, orbi nunc tempus prodere: cum mors
Non defleta satis cari immatura magistri
Laudibus, & gemitus monet, & suspiria iungi.
Sed quas tu laudes dignas Romane rependes?
Munere quo cineres tam grati nominis

 minis

minis ornes
Relliquias? luctus, quos olim excituit acerbos,
Dum Crispum indigna lacrymatur morte peremptum,
Dum pueros deflet binos, quos Flauia cædit
Sæuities de gente sua: quas Roma, querelas.
Quosque dabas gemitus dulcis dum corpore nati
Innixus pater, incusans velocia frustra
Imperia, & nati funus, sua crimina deflet:
Illa iterum percurre animo suspiria: Patris
Perlege singultus iterum, & comitare parentis
Indignos questus. postquàm commouerit acer
Mentem, animumque dolor, tua, nunc hæc funera dices,
Has lacrymas, questus hos Bernardine merentur.
Nempe tuis vnus cum non sis laudibus impar;
Tu funus lacrymare tuum. iam crura cothurnis
Arma iterum, atque iterum tragicas induce camænas,
Quæ

Quæ funus renouent: vel saltem cum tua virtus
Quæstibus est nostris maior, ne respue censu
Bernardine tuo depromptos diuite quæstus.
Illum, inquam, gemitum, quo Crispi funera fleuit,
Quo Constantinum, Roma execrata nouercam,
Sæpiùs ingemuit; seu quem post Flauia casu
Elicuit grauiore domus: tua funera, te te
Illi deflebant, mortis præludia luctus.
Te tamen ò Mutina, extremis exercita nuper
Præceptis, doceat quis te lacrymare virorum
Deturbatum apicem, neque enim lacrymabile carmen
Hactenus exorsus, quàm posset talibus armis
Prodiderat: iam nunc te primis instruit ille
Questibus; & meritò quæ agere infortunia possint
Principis in lacrymas animum, te Borse gementi
Edocuit, lecto impositus: quis tunc tibi

tibi ſenſus

Cum Patris ora notas ſubita pallenti febris:

Cum totos vidiſti artus depaſcere morbum

Aureaque extremæ cædi cum fila ſenectæ

Senſiſti ? medicas adhiberi protinus artes

Præcipis, & ſæuam ſi quæ medicamina mortem

Propulſare queant : cum iam faſtidia vitæ

Illum cœpiſſent ; ac ſummi numinis aurà

Coelum inclamaret, patriaſque requireret ædes.

Illa dies prope iamque aderat, cum Numinis almi

Virgo Parens primùm maternis viuere cœpit

Viſceribus, matris tantæ ſolemnibus æger

Iam fauſtis aliàs, venturi præſcius ante

Cœlum ingreſſurus præſentit. quin ait imus

Quò me Virgo vocat ; ſacris tibi Virgo diebus

Me pius adſcripſit nati ſibi cœtus, & aris

Ad-

Admorunt tua me Virgo ſolemnia; rurſus
Militiæ votis me lux tibi feſta reuinxit.
Quid ni igitur vitæ dum tu primordia ſumis
Viuere iam cœlo incipiam? promiſſa repoſco
Iam tua, maturus cœlo quid demoror aſtra?
Accipite hanc animam ò Superi, tuque ò bona Mater
Ante alios, nil debentem mortalibus vllis.
Reddite iam patriæ, patrique, & reddite cœlo.
Atque aliquis linguæ documenta extrema cadentis
Hæc referat Borſo, memori quæ corde recondat.
Omnes commorimur; omnes; via lubrica lethi
Omnibus eſt calcanda ſemel, ſeu regia crines
Gemma grauet, ſeu nos rerum penuria preſsit.
Dixit, & æternùm clauſere ſilentia vocem.
Viuere vix dum deſierat, Patris vltima verba
Cum percepturus, tu nuper Borſe

vocatus

Quamquam ſerus ades: properauit ſtamina vitæ
Rumpere mors, tempus breue dedignata morari:
Sed retulere alij; moriens quàm ſæpè vocarit
Nomina tam cari capitis; quàm ſæpè precatus
Sit pro te ſuperos, tibi quæ mandata reliquit
Argumentum ingens, monumentaque dulcia amoris.
Sed te quas lacrymas, quæ te ſuſpiria iuſſit
Reddere? quos docuit ſermones mutuus ardor?
Ah morimur cuncti: ſic funere clauditur omnis
Vita hominum, te ſors eadem premit, aurea dignum
Sæcula Neſtoreas vltra producere luces.
Quis nunc extincto te Bernardine iuuentam
Informet pietate meam? quis in abdita Pindi
Ducet inoffenſo pede, per veſtigia euntem
Antiqua, ac tritum maiorum paſſibus æquor?

Quis

Quis noua nunc doceat non vlli audita priorum,
Non vlli laudata satis solertia mentis
Inuenta? ò quot adhuc restabant corde sub imo
Ingenij foetus? quos ipso in limine vitæ
Corripuit tecum mors atra, & mersit acerbo
Funere. perge Pater, quò te sincera morantur
Sidera, perge memor nostri. dum spiritus artus
Hos reget, & mihi dum mortalis vita manebit
Semper honore nouo, semper celebrabere fama.
Desine plura puer: tumulo iam condere tempus
Magnum animæ hospitium: sed nunc lugubre cadauer.
Quod superest: sibi ne doleat solatia mortis
Posteritas ablata: bona sub luce typorum
Ingenij dignos partus permitte videri:
Quidque boni tulerint præsentia sæcula, norit.
Id cura: id supplex votis quoque Roma precatur.



In funere

P. BERNARDINI STEPHONII SABINI

E SOCIETATE IESV

Poëtæ, ac Oratoris insignis

EPICEDIVM.





DA lacrymas iterum, iuuat in suspiria rursum
Ire iterum in gemitus; nulli sat fletus, & orbi
Flebilis, hæc mentis deposcit munera gratæ,
Hoc amat officium; si quis post funera

nëra ſenſus;
Reſtat adhuc noſtrùm cœlo poſt fa-
ta receptis
Cura animis : tu igitur grati ne ſper-
ne doloris
Triſte miniſterium . dum mors , &
fata ſinebant ,
Quod potuit famularis amor deſer-
uiit , an ſic
Vltra Neſtoreæ longiſſima tempora
vitæ ,
Deque ſuis noſtro menſes licuiſſet
amori
Addere Bernardine tuis , nec flebilis
vnquam
Sollıciti partes dolor accepiſſet a-
moris ,
Sume igitur fletus , quos me docue-
re camenæ ,
Sume pias lacrymas . quamquam ſu-
ſpiria cordi
Deficiant ; nec ſufficiat mala carmi-
na Phœbus ;
Oblitusque ſui lacrymas , lamentaque
malit ;
Ex quo tam cari mortem defleuit
alumni .
Cum iam egomet rigidum cantu le-
nire dolorem
Cogito :Calliope inſolitum fugit im-
proba plectrum ;

Car-

Carminaque (Heu dolor heu) singultibus interrumpit.
Tu mihi principium, tu lamentabile carmen
Da solitus longo lacrymari syrmate reges;
Te Pallas, doctique cohors Parnassia Phœbi,
Te Musæ, & gemina plangat facundia lingua.
Donarem tumulo statuas, simulacraque veri
Aemula; iussissem celsas tibi surgere dudum
Pyramides, saxo mortalem ponere solers
Artis Apellææ diues. non hæ mihi vires
Non has quæris opes. tumulo dare carmina possum,
Et rigidos possum Musarum dicere luctus.
Anxia nam febris tibi dum postrema minatur
Fata, subitque grauis mortales languor in artus.
Protinus aduenjunt, sæuo turbata dolore
Agmina Pieridum, decima cum Pallade, Phœbus
Aduenit, & tanti pridem securus a-
hum-

lumni;
Huc ades, & medicas, ait, ò Epidauria proles
Exere iam vires; si quæ recreare iacentem
Ars valet, & meritæ producere tempora vitæ.
Id rogat Estensi Borsus de stirpe: iuuentus
Id Romana rogat: quin & simul ipsa precatur
Id Pimplæa cohors, neque enim de plebe poëtam,
Aut vitam dextro seruas sine numine cretam.
Olli acre ingenium, præclaris artibus aptum
Addidit in nostros primum natura recessus:
Seu placeat lusisse chely, seu syrmate vestem
Finiat, & tragicis inducat crura cothurnis.
Hunc sibi Virgilius non dedignabitur vmquam
Esse parem; Latiæ non ardua gloria linguæ
Tullius; atque adeo sibi nec præferre recuset
Annæus, tragico voluentem carmine luctus,

Qualis decurrens cadit altis montibus amnis;
Quem super antiquas voluentem flumina ripas
Aut pluuiæ, aut grando, aut imbres aluere niuales:
Feruet, & immensus tonat; & ruit ore profundo;
Cum vita functum summæ prope Virginis aras
Flaminium, sic Romano mandante Senatu,
Exequijs, vitæ postremo munere, donat:
Quin etiam commixta fauis vox dulcis Hymetti
Fundit opes liquidas, puroque simillimus amni
Sermo beat Latium; templis, arisque receptam,
Purpureos inter Patres cum laudibus effert
Agnetem; aut summo celebrat cum flamen amoris
Deciduum cœlo, & venientes æthere flammas.
Si quantùm valeat, dum Lesbia barbita tendit,
Nate petis: fertur quàm dignis laudibus olli
Aeterno mentis almæ Sapientia par-

tùr

tu
Edita par ſoboles, & cenſu laudis, & æuo,
Filia viua Dei, viui Dea numinis hæres!
Sed tamen orcheſtram greſſu dum concutit acri
Tantùm alios longo vates poſt ordine linquit,
Quantùm Aquila excedit reliquas prouecta volatu,
Phœbeis inhians radijs, regina volucres.
Seu Simpheruſam primis conatibus vrbi,
Et ſeptemgemino morientes funere natos,
Lugendos agit in ſcenam: ſeu funera Criſpi,
Et furioſa nimis damnat mandata parentis:
Siue tuos deflet magno conamine caſus
Flauia, flebilibus domus haud indigna camænis.
Seu potiùs placeat puerili ludere mimo,
Dicere res auſo tenui non carmine paruas.
Sed tamen hìc etiam ſomno dum damnat inertes,

Dum

Dum ludis alios damnat, dum deuouet orco
Seque, librosque simul, nolam, foenosque magistros,
Atque graui ludos pueriles exprimit arte:
Quàm facilis, nulli iam iam visendus, in auras
Assurgit? quanto cum pondere seria sæpe
Dicta rotat, grauia & ludicro carmine miscet?
Ergo age, si quà cauo gemini Chironis in antro
Herba iacet; si quam medicis Epidaurus in agris
Educat, aut profert Idæa Creta sub vmbra;
Quæ valeat morbos, & sæuam pellere mortem,
Nunc tempus proferre: tuis nunc artibus vsus,
Nunc opus ingenio, nunc omnes exprime vires.
Si qua datur via, vicinis hunc eripe fatis
Nate virum. hoc vnum lucis pro munere patri
Redde volens: summa poscit quod voce sororum
Docta cohors, summis quod votis

Roma

Roma repoſcit.
Dixerat, & ritu ſubitò veſtitus vterq;
Pœonio, feſſa inclinat quà membra cubili,
Adſunt, nequidquam vario medicamine morbos
Aggreſsi, & ſacris peſtem depellere ſuccis.
Nulla datur poſtquàm vicina morte facultas
Eripere, & tacito muſſat medicina dolore.
Protinus in lacrymas oblitæ gaudia Muſæ,
Se dederunt, Latiæque ſimul facundia linguæ,
Quis gemitus referat, quis verba cadentia luctu,
Singultuſque graues, lamentaque fortia dicat?
Hìc Phœbus luget; gemit hìc Epidauria proles,
Antiquas artes, nec proficientia damnat,
Perpetuis ſua ſuccenſens medicamina flammis.
Hìc riſum indignata gemit Comædia, quondam
Neſcia, magnorum caſus deflere virorum.
Hìc etiam antiquos miſeranda Tra-

gæ-

gædia luctus

Morte sui renouat vatis : facundia alumnum

Ingemit alma suum, breuitasque Laconica luctus

Protrahit, hic præter morem : nec repperit vllum

Lugendi finem : verbis lepor Atticus : addit

Hic lacrymas; neque se consueto limite frœnat :

Atque Asia hic de more suo gemit vbere fletu.

Sed tamen ante alias tristis Rhodus insula luget

Bernardine. ò quàm sublimem perdit alumnum?

O quantum auxilium rebus iam penè ruentis

Imperij? vos hùc etiam suspiria luctus

Hùc date : sic Phœbus, sic agmina docta requirunt.

Ipse etiam lacrymis quando dolor occupat ora,

Ipse etiam taceam, durus componere versus

Funere Bernardine tuo. iam desine plura

Musa : grauis dolor heu dolor ista silentia mandas

Ah dolor, ah voces dolor ah dolor interpellas;



AD ROMANOS,

Vt bellum capessant in Germania

ADHORTATIO.





Vid tantùm torpere iuuat? quæ sera moratur
Segnities; inter leniſsima brachia Romæ,
Ardétes animis pueros; queis prima iuuentus
Corpore ſat valido rabidos exſuſcitat ignes?
Ergo ciuili dum ſe Germania bello
Conficit: & certam ſcelus vna ex parte

parte minatur

Perniciem Italiæ, ac Romæ penè horrida mente
Funera, tartareo concepit milite fidens.
Romam vbi prima meæ veneror cunabula gentis,
Dulce mihi natale ſolum; magis omnibus vnam
Quam Deus optauit ſibi; quam cœleſtibus atrijs
Eſſe parem iubet, ac terris noua dicere iura:
Romam igitur miles populari cogitet audax;
Atque animo crudele nefas agitabit inultus?
Dum parte ex alia pectus circumdatá ferro
Nequidquam Auſtriadas bello ſectatur Amazon
Nobilis; atqne oneri ſuccumbit, & aurea cedit
Relligio; nec ſufficiunt mala vincere bella,
Effractæ pacis iam longo munere vires.
Militiæ tu ſecurus Romane ſedebis,
Otia fœda ferens? ſocios non vlla tuendi
Cura animum grauior tanget? ſolitum-

tumque petentes
Auxilium, ignauus non hæc ad bella sequeris?
O probrum, ò priſca maiorum ætate pudenda
Segnities. Sæuit toto Mars impius orbe,
Arma fremunt, populi & lacrymoſa inſania ferri
Accendit reſides, armatque in prælia gentes.
Iamque moras fortis rauci canor increpat æris,
Auditæque tubæ; ſignum dant claſſica, & alto
Monte ſonum agricola excipiens, excuſſit aratrum,
Deſuetoſque diù, & plenos rubiginis enſes
Accingit lateri, dextramque ligonibus armat.
At vos interea placida ſub pace, quietem
Ducitis immunes belli? non pectora flectit
Exitium ſociorum? acres neque commouet iras
Imperij excidium? nec atrox dolor oſſibus ardet
Sacra prophanari, & cœleſtia Numina temni?

Iam rapidas templis flammas mini-
tantur, & ari :
Nec veriti terris oculos, hereboque
timendos
Maieſtate graues, iterum dare vul-
nera Chriſto
Sacrilega potuere manu: miſerabilis
oris
Flecteret effigies ſaltem : ni terruit
acer;
Nec timor officij docuit fugere iſta
magiſter.
Sæuitia vt lapides vincant, adaman-
taque, ſeque :
Debuerant tamen audaci deſiſtere
cœpto :
Vt videre Deum lacerum crudeliter
aſpris
Tempora ſacra rubis ; atque omnis
cedere prorſus
Debuerat ſæuo de corde ferocia;
corda
Aſpicere vt licuit per vulnera pe-
ctoris ampla,
Corda Dei, curis noſtrarum ſaucia
rerum.
Vel ſaltem cum ſe ſceleri manus im-
pia diro
Ferro accincta furens erexerat : ari-
da coelo
Nexa moras medio, vitæ ſcelerata
ne-

negaſſet
Officia, aut meliùs ferro ſuâ corda petiſſet.
Spectat & hæc aliquis de cœli ſedibus vltor?
Nec fauces tellus aperit, rimiſque ſatiſcit,
Infernæque vrbis non flammea clauſtra recludit?
Si liquido nunc ſole dies it; clarus vbi ignis
Fulmen vbi, & telum nimborum in nocte triſulcum?
Si iaculum non iſta tuum commiſſa repoſcunt
O hominum, ò Diuûm Pater; aut tibi fulmina dicent
Deficere, aut Rhodopen, & opaca Ceraunia fruſtra
Igne premi, & ſummo iactis de culmine telis.
Si veſtras non hæc armant ad prælia dextras;
Si non ira ſubit; volucres neque protinus ignes
Exarſere; nec vlla vlciſci cura remordet:
Ne tu Scipiadas poſthac temerarius auſis,
Aut Fabios nulli victos, vnique ſecundum

Pompeium socero, aut alios, quos edidit olim
Roma ducum genitrix, regum fortissima mater,
Appellare Patres. non orta parentibus istis
Prisca Patrum series tepefecit sanguine Poeno
Aequora, & Antiochum ingentem, dirumque cecidit
Annibalem, & Pyrrhum Italiæ dare terga coëgit.
Mascula sed Romæ soboles dum vindicat armis,
Vltricemque grauem sociùm se nominat: vltra
Protulit Herculeos fines cum nomine regnum.
Fortes, atque boni forti de stirpe creantur:
Est in equis patrum virtus, pauidamque feroces
Non generant Aquilæ, mutata prole, columbam.
Sed tamen in peius retro sublapsa feruntur
Omnia, & imminuit quid non damnosa vetustas?
Sic nigra fata ferunt. peiores edidit orbi
Peior auis ætas Patrum nos, inde da-

daturos

Quæ possit sobolem seniores credere iustos.

Defecere vtcumque boni cum tempore mores.

Dedecorant culpæ bene nata. Moras age segnes

Rumpe ferox omnes, vitam indignatus inertem,

Romanis non dignam animis: caput indue ferro;


Circumda loricam humeris; clypeumque sinistræ

Adde habilem; rigidisque latus mucronibus arma.

Hæc iuuenem deceant. Medios procedite in hostes

Nemo tenet: bello patriamque, patremque probate.





PAVLO V.

PONT. OPT. MAX.

PRO PACE

GRATVLATIO.





Vm furit Alecto, totumque exasperat orbem,
Accenditq; animos insano Marte; nec vllam
Viuere bellorum partem permittit inanem:
Pax fouet Ausoniam, clausit pax limina Iani;
Atque intus rabiem vinclis, & carcere

cere frœnat;

Sic tu Paule iubes: populos cohibere Latinos
Cui dedit, æterno qui temperat omnia nutu,
Iustitia, æthereo, te principe, spectat, ab orbe
Conciliata solum, & terris sua numina reddit.
Hinc, atque hinc olli de cœlo mille sorores
Addunt se comites, fundentesque aurea larga
Dona manu, cœlum, tempestatesque serenant.
Sed pax ante alias placido nitidissima vultu:
Qualis erat, pulchri cum prima exordia mundi
Composuit, cœcumque chaos, litemque diremit,
Imperijs Pauli, officio ancillata fideli
Bella fugat, Martemque ferum decedere cogit
Italia: rapido fugit ilicet ocyor euro,
Romæ nequidquam minitans duce, & auspice Paulo.
Non sic ira Iouis, Rhodopen si quando niualem,
Aut Athon, aut Othryn deiecit fulmine,

mine, & omnem
Territat igne polum, liquido cadit aëre velox.
Nimirum iræque horribiles, cœcique tumultus
Festinant cum patre fugam: quin territus ipse
Pallor, & exangues ardent celerare timores:
Terribiles visu formæ; quas pone sequuntur
Impetus, indignumque nefas, vultuque cruento
Mors armata, furor simul, & discordia demens,
Insidiæque graues rapuere per aëra gressum.
At bona pax, nebulis discussis, aëra purum
Reddit, & aurato curru perlabitur æthram.
Ite alacres igitur soboles ò clara Quirini,
Ite animum grauibus curis, & corda soluti,
Quà licet, & vires permittunt, soluite Paulo
Commeritas grates. quòd si non praemia Roma
Debita sufficiat, superos orate volentes;

Paulus vt in longum sinceræ tempora vitæ
Ducat, & extremæ viuacia fila senectæ.
Primus ego sacris diademata terna capillis
Fausta precor, longos & vitam extendere in annos.
Tu Ferdinandum bello miserate teneri,
Imperioque suo, lectis in regna tyrannis,
Deijci, & exemplo diuina, humanaque temni
Indignate nouo, precibus, censuque leuasti;
Et dubitare vetas. longè tamen vrbe repellis
Prælia Romana, & prohibes discrimine Martis.
O niuei soles, nimis ò secura voluptas!
Nonne vides: pax alma polo decurrit aperto,
Gaudia fronte ferens, manibus noua gaudia plenis
Diffundens? illi rident vaga murice labra,
Flexilis atque illi serpit per colla, per aureum
Frontis ebur coma: pars auro, gem-

misque ligatur;
Partem etiam dedit illa leui diffundere vento.
Illa gerit pleno Cerealia munera cornu
Mitis Amaltheæ: sacris vindemia labris
Pendet, & Alcinoi desectus stipite ramus.
Illa vigere iubet solertes Palladis artes,
Illa docet vates sublimia carmina; Paulum
Argumentum ingens & vatibus illa ministrat.
Huc igitur commissa mihi Romana iuuentus,
Huc ades, & blanda quà voce poëtica ducit,
Curre gradu facili, tenerisque assuescere ab annis
Incipe carminibus; Pauli tum dicere facta
Incipies, cum tantum oneris nec ferre negabunt,
Pondere nec fragiles humeri labentur iniquo.
Quàm iuuat interea securos noscere formam
Inuidiæ, penitamque domum, cœcosque recessus,

Et

Et genus, atque atro diffuſum cor-
pore virus:
Dum ſeptem furit illa trionibus, &
grauis igne
Longiùs excitas in prælia ſuſcitat
vrbes.
Quam iuuat & raris vellentem den-
tibus herbas
Aſpexiſſe famem ſaturos: dum palli-
da vultu
Germanis magis, atque magis crude-
ſcit in agris.
Sic ſerpens oculos pictura paſcit ina-
ni
Quem fugimus tollentem iras, ocu-
liſque tumentem.
Sed ſi funereos belli cognoſcere ca-
ſus
Ardet amor, famaque nouos audire
tumultus:
Cur non delectet quæſiſſe exordia
famæ,
Vnde grauis repat, nulloque auctore
per vrbes
Rumor, & vnde ſuas acquirat gar-
rula vires?
Somnum etiam vidiſſe leuem iuuat
ante ſoporem;
Nec liquidæ ſua membra priùs ceſ-
ſiſſe quieti:
Quàm placidi inſtrumenta Dei co-

gnoueris omnia:
Ast vtrumque datur. pacis sunt aurea dona
Paule tuæ. tibi quas ergo pro munere grates
Roma feret; meritis quæ præmia digna rependet?
Viue diu felix, & ferrea sæcula muta
Oblitus Romæ numquam: sed perge tueri
Quo cœpisse gradu placuit: sic itur in astra:
Sic datur æternos deducere nomen in annos.



In



In Die
PENTECOSTES
ELEGIA.





Am noua maturis pulsum feruoribus æstas
Ver agit, & findit sol nouus arua siti.
Oceanoque timens, pigro sub vespere tingi,
Imperat, æstiuos longiùs ire dies.
Scilicet incœpit mensis procedere quartus;
Si cursu antiquo Romulus annus eat.
Sed regnante Numa meliori ex ordine

dine sextus;
Regia cui nomen nobile Iuno dedit.
Nec minùs incumbit, dum feruentissima terris,
Primaque mundum æstas in sua iura trahit:
Corda quoque & pius ignis edit, penitasque medullas
Intrauit summo missus ab axe calor.
Occultosque inspirat, & ossibus implicat æstus,
Rimatusque virùm pectora, fingit edax.
Ergo age, & à prima repetamus origine tanti
Muneris euentum: sic iubet orta dies.
Iam nouies aurora suos induxerat ortus,
Et roseis decimus lucifer ibat equis:
Ex quo Christus agens Capitolia ad alta triumphos,
Sacrarat, domito dite, trophæa Patri.
Ille lacus domuit stygios Plutoniaque regna;
Contenditque atro ferrea vincla duci,
Per-

Perdidit ille nigros trepida formi-
dine manes,
Tam benè tartareas depopulatus opes,
Cocytique palus facta est remeabilis
vnda,
Et Phlegethontæas diffidit ille fo-
res.
Atque animas olim squallenti gurgi-
te mersas,
Cœlestes victor iussit inire domos.
Iamque triumphator spolijs insignis
opimis,
Intulerat coelo, nixus in astra, ca-
put.
Aligerùm ducente choro, lætumque
canente,
Vicit iò Christus, dicite, vicit iò:
Cesserat ad superos, deuectus nube
curuli.
In vaga lucenti cesserat astra via:
Ante sed inferni latè maris ibat ima-
go:
Limosaque pigèr ibat Auernus a-
qua.
Aureus & Phlegethon cœno spuma-
bat olenti.
Et Lethe, & nulli bis nigra visa
palus.
Et media ex ebeno, flammasque
imitante pyropo

Sta-

Stabat aperta nigras vrbs inamæna fores.
Pone sequebantur furiæ, scyllæque biformes,
Et rabido Gorgon cui caput angue furit.
Atque venenatas replicans ad pectora spiras
Ibat atrox angues Tænarus ore legens.
Harpyiæque aderant, & grandia monstra gygantum;
Brachia queis tortus, cruraque vincit hydrus.
Et reliquæ pestes herebi; malè suada voluptas,
Cumque metu fallax gloria, dulce malum.
Luctus, & vltrici gressu famularis egestas,
Mille simul mortis nomina, mille viæ.
Dijque, Deæque omnes, quos fabula prisca sacrarat
Sidereis, falso numine sœta, choris.
Juppiter hic Ammon, hic & pallebat Osiris:
Nec minùs effractis cornibus Apis atrox.
Pectinis in morem diuùm turrita

pli-

plicabat
Mater, vt inserto mœsta dolore, manus.
Hinc, atque hinc longo deducitur ordine proles,
Nexa pedes vinclis, & malè nexa manus.
At Deus interea nebula sublimis in alta
Sideribus, dudum patre vocante, subit.
Candentem indutus chlamydem, quam purpura circum
Currit: & aurato syrmate signat iter.
Cui triplici radiant pulchri diademate crines;
Cuique grauant fortem regia sceptra manum.
Illum ascendentem, atque alba se nube tegentem
Videre, immeritas imbre rigante genas,
Bisseni patres, operum, testesque triumphi:
Olim viuenti proxima turba Deo.
Ergo mœrentes abitus, & multa gementes
Inuito repetunt limina nota pede.
Quòd nisi spes animum promisso munere firmet,
Iam

Iam potuit vitam ſubripuiſſe dolor.
Et iam tempus erat, cum Chriſtus ab æthere ſummo
Deſpicit & terras, deſpicit inde ſalum.
Littoraque, & gentes linguis varias, animiſque;
Plutonem dura conditione pati.
Præcipuè Solymas oculos conuerſus ad arces,
Mœſtitia cernit diriguiſſe ſuos.
Indomitoſque animos acri torpere dolore,
Vix lacrymis, vix & vocibus eſſe locum.
Atque illum tantis agitatum pectora curis;
His vltrò Michaël vocibus alloquitur.
Christe ſator mundi, melioris conditor æui,
Rerum opifex, magni Patris imago Dei,
Seu Solymæ placuere altæ, quà nobilis Inda
Iordanis gemma purior arua rigat.
Imperiumque tuis moliris, vbi inclyta quondam,
Membra iuuat ſœua depoſuiſſe nece,
Seu

Seu iam Romuleos amor est tibi subdere colles;
Et lubet hos cœli sedibus esse pares.
Romanumque nouis frœnare ita legibus orbem;
Et sacra sic magno ponere iura mari:
Seu Pater ignotos vltra Garamantas, & Indos
Destinat imperijs barbara regna tuis,
Quod super Oceanum est, gelidum quod præter Atlantem,
Quod Tigrim est vltra, sub tua iura fluet.
Nec Thule angustos determinet vltima fines:
Rhene Dei citra nomina flumen ages.
Te stygij fugere duces: tibi ianitor Orci
Cessit, & inferni te tremuere lacus.
Tu mala, quæ purum temerabant aëra, victor
Antiquam in sedem cogis abire procul:
Ac sibi qui totum demens inuaserat orbem,
Et populis princeps aspera iura dabat,

dabat,
Tartareum prædonem abigis, vinclisque coërces,
Et quæ tollebat cornua frangis atrox.
Ex illo imperijs cessit cœlestibus, infans
Vnde oritur Titan, occidit vnde senex.
Sed tamen & rigidos vinclis cohibere chelydros
Quid iuuat, & nigras perdomuisse plagas,
Claudere tartareas portas compagibus arctis:
Aurea stelliferi pandere claustra poli.
Si stygias homines vmbras, animasque rebelles
(Proh lacrymas) tamquam numina thure colunt?
Quos populo ex omni gentis, prolisque futuræ
In spem exemisti corpora lecta virûm.
Nonne vides? cœcam pauidos timor abdit in ædem,
Et tua languentes pandere signa vetat?
Ac se se dubitant cœlo committere aperto;

Et

Et ſilet infami lingua retenta metu.
Quid faciant? capiti impendent certiſſima fata:
Si tibi pro meritis reddere vota velint.
Adde animos tandem, & promiſſo munere firma.
Dediſcent tanto munere corda metum.
Hoc illi clauſi, orbatique parente precantur;
Et ſæpè ante tuos procubuere pedes.
Ipſa parens, vita quondam, dum vita manebat
Mortalis, ſi fas dicere, cara magis:
Cum ſocijs, patribus, populo promiſſa repoſcit:
Sæpè tuam haud anceps inuocat illa fidem.
Dixerat, & plena lætus de thuris acerra
Impoſuit ſacris pinguia grana focis.
Fumum agit, & cœlum fragranti nube vaporat,
Et potuit grato Chriſtus odore capi.
Nempè Deum cœlo poſſunt deducere vota;

Et penetrare audent interiora poli.
Quid non cogis amor superos? mortalibus axem
Tu pandis, facili Numina voce moues.
Vix ea fatus erat Michaël: cum talia reddit;
Et precibus facilis vincitur ipse Deus.
Parce metu, nostras qui ducis in arma cohortes.
Nil promissa moror, munera nostra manent.
Et sacros animis ignes, atque ossibus addam,
Et carpet solus pectora noster amor.
Iamque videbis, vti longè formidine pulsa,
Per mare, per terras nomina nostra ferant.
Omnia iamque tibi fabor, sensusque recludam;
Quæ mox, quæ longè sæcla futura trahent.
Imbiberint flammas postquam, excussoque timore,
Audebunt extra limina ferre pedes.
Isacidum primò populum conamine magno
Ten-


Tentabunt, nostris adijcere imperijs.
Et quoniam placido fugiet succumbere iuri
(Heu nimium sortis nescius ipse suæ)
Per gentes melior noua quærere regna voluntas:
Illæ æui sument liberioris iter.
Et mores ponet sceuis mortalibus almos
Iustitia, & pietas iura benigna dabit.
Neu Romæ Michaël motus horresce futuros,
Audaci quos nunc impia mente mouet.
Iamque infanda parat nostris indicere bella:
Vtque libet morti millia multa dabit.
Consilia in melius referet: nil bella pauesce:
Subdet & hæc miti colla superba iugo.
Submittet fasces, meliorique omine sumet:
Tunc ijdem fines vrbis, & orbis erunt.
Tempus erit, cum Roma ignotas audiet oras

Subdiet imperio barbara regna suo.
Proximi erunt, nunc postremi Garamantes, & Indi,
Gens Nili exortus conscia quæque iacet.
Quæ tam seposita est, & quæ tam barbara tellus,
Quæ fera diuinam non cadet ante Crucem?
Tantum hic ignis, & ipse Deus telluris obibit:
Visit quantum oriens, occiduusque dies.
Sic fatus Patri ostendit palmasque, pedesque:
Quod medio sœuum in pectore vulnus hyat,
Vulneraque illa, hominum tulerat quæ victus amore,
Et nobis pacem, quæ peperere Dei.
Bisseni interea patres promissa volutant,
Et mage corda sacri muneris ardet amor.
Nutantesque animos firmat, mentemque labantem,
Atque Dei, atque hominis Virgo, eademque parens.
Dumque ea per terras, summoque geruntur olympo,

Ma-

Magnus ab eoo viſus adeſſe fragor.
Obſtupuere omnes : claro ruit ignis ab axe,
Innocuuſque leues obſidet ille comas.
Flamma caput lambit, tactuque innoxia molli,
Auratas circum ludere viſa comas.
Præcipitate metus omnes. hic Spiritus ille eſt,
Quem ſemper votis expetijſſe iuuat.
Summus amor, bonitas eadem, Natique, Patriſque,
Quique idem nodo iungit vtrumque pari.
Nec Nato, nec Patre minor magnus: Deus idem eſt,
Olli eadem virtus vnica, Numen idem.
Nam Pater omnipotens, æquæuus Filius vnà
Aura hunc inſpirant omnipotente Deum.
Sed quid ego hæc demens complecti verſibus optem
Quæ ſuperùm numquam pectora ſat capiunt!
Non, hæc ſunt numeris Clio mortalibus apta:
Iam cohibe audaces hìc elegia gardus.

AD



AD POESIM

Dithyrambicam, & lyricam ENCOMIVM.





Quæ perenni Pieri carmine
Stellata mundi mœnia temperas:
Ignesque viuaces, & aulam
Cantibus æthéream remulces.

Seu tu ſupremo proxima Numini
Inuenta rerum ſemina perſoras:
Seù iura, seù formas canendi
Differis ordinibus beatis.


Tu

Tu siue cœli frœna fragoribus
Imponis, orbes seu superos melos
Vocale, seu certa fluentes
Lege doces reparare cursus.
Leni volatu te sapientia,
Casto voluptas te sequitur pede;
Decorque mollis, floreisque
Gratia nexa caput coronis.
Te septa multis gloria honoribus
Et iuncta famæ candida veritas,
Stipant frequentes; atque limbo
Sanctus amor properat soluto.
Tibi parentis munere eburneus
Aurita doctus ducere marmora,
Cessere pecten, tibiæque,
Et fidibus resonare septem
Testudo mollis: seu placeat pede
Per dithyrambos ludere libero;
Seu concinis certo recursu
Docta modos leuiore plectro:
Seu semper iisdem voluere legibus
Decreta mauis carmina: verticem
Attollis, indignata terras,
Nomine non tumefacta vano.
Inclusa nullis limitibus vaga,
Diuinus erras quà trahit impetus,
Tuosque definire campos
Quis velit, aut posuisse metas?
Cum prima lucis tempora combibit
Infans auorum progenies ducum
Tu magna suades facta patrum

Et teneris oculis quietem.
Funesta postquam in prælia propulit
Felix iuuentus; tu stimulos nouos,
Tu calcar addis iam volenti;
Atque paras reduci triumphos.
Seu febris artus pascitur arida,
Seu functa sœuis vita periculis
Post vota, cœco se timori
Proripuit, celerique fato.
Tu docta mentem rebus in arduis
Librare firmas ponderibus suis:
Ridente fortuna refrœnas
Lætitijs animum solutis.
Partes in omnes temporis vtilis;
Donec sepultos funeribus duces,
Mortale fatum non merentes
Nec pateris perijsse totos.



PER.



PERVIGILIVM

S. SPIRITVS.





Ras amoris, ò ſodales, purus igis axé decidet.
Cras amore perbeato terra, cœlum, mundus ardeat.
Cras amare qui negabit, durus ille totus æneus.
Ergo cras cœleſtis ignis imbre puritatis aureo
De ſuprema parte mundi littus irrorabit inferum.
Vret ille corda velox, pectus vret ille feruidus.
Immemor non vret ille corda, non & ille pectora.

Flamma ludet per capillos, ludet innocente cuspide:
Flamma lambet, nec nocebit, aureas tactu leui comas.
Et stupet miracla flammæ quidquid est virorum amantium;
Et stupet qui numquam amauit: est amoris hæc potentia.
Exili mei leuamen ergo flammeam refer chelys,
Obloquuta dulcibus refer modis, refer potentiam.
Cras amoris, ò sodales, purus ignis axe decidet.
Hortus obsitus rubetis obsideri sic ab ignibus
Visus, ardentes fauillas ferre Mosi visus, æmulos
Siderum globos nitentes: sed pepercit ardor igneus
Aureæ florum coronæ: facta mitis flamma denegat,
Et decus cremare veris, atque honores veris vrere.
Et suas oblita vires flamma floribus manum dedit.
Igneis rigata riuis, grata surgit inde purpura;
Purpurascit, & rubescit igne florum cincta gratia;
Et virescit flosculorum flammulis lepor;

por sequacibus.

Cras nouatur id stuporis, denuo comis tenellulis.

Bella parcit ardor ignis: fœdus ardor sancit igneus.

Cras amoris, ò sodales, purus ignis axe decidet.

Cras amore perbeato terra, cœlum, mundus ardeat.

Inter ignes sic curules, lacrymanto multa filio,

Intulit caput nitenti patriæ propheta Thesbius,

Perbeatus igne vates, igne perbeatus aureo.

Præpeti per astra cursu fertur ille præter æthera:

Inter ignes, & per ignes sede vates fertur ignea.

Parcit & Deo iubente, vestibus parcit tenellulis:

Membra vatis obsidentur ignibus cremare nescijs.

Flamma cras nouat stuporem. cras negabit rursus vrere.

Cras amoris, ò sodales, purus ignis axe decidet.

Cras amore perbeato terra, cœlum, mundus ardeat.

Cras amare qui negabit; durus ille totus æneus.

Si quis ardet igne puro; dissipare ne liquentibus
Tentet vndis ille flammas. inferis est maior ignibus
Flamma amoris: est amore nulla maior æmulatio:
Fontiumque, fluminumque nil pauescit ignis impetus.
Deperire amoris igne si queam, perire deneges.
Ille nam suo periclo maior, & surgit recentior
Maior illico, & sua de morte pulcrior renascitur;
Corda cui flagrans amoris munus ardet æstuosiùs.
Durá non est vlla, nec periculosa amoris alea.
O liceret interire millies amore flammeo:
Deperire amoris igne si queam, perire deneges.
Cras amare qui negabit durus ille totus æneus.
Cras amore perbeato terra, cœlum, mundus ardeat.
Quale Phœnix, cum senectus fregit alas, & volatibus
Feruidi rotas micantes ætheris vetat lacessere;
Solis & parentis ortus, vt solebat ante

ante visere:

Messe lectum de Sabæa, frondibusque suaueolentibus

Nuptialem, funebremque sternit ex odore lectulum.

Pronuba nouos amores morte, & igne solis auspice.

Inter ignes, atque odores haurit, ac amore deficit.

Sed nega perire quemquam, morte qui sua renascitur.

Aestuat vigor volutus membra per succensa viuidus:

Coniugali de sepulcro pulcrior resurgit illico.

Interire sic negato; mors amoris quem neci dedit.

Si quis igne amoris ardet: ille, crede, numquam deficit.

Nescius sed ille vitæ est; si quis est amare nescius.

Cras amoris, ò sodales, purus ignis axe decidet;

Cras amore perbeato terra, cœlum, mundus ardeat.

Pectus intrat vt tenellum flamma seminata cœlitùs:

Tum decoris, ac leporis pectus intrat doctus artifex.

Tum pudoris, ac honoris blanda pectus intrat indoles.

Emicat laudes in omnes igne ducta forma Dædalo;
Præpotentis & vigoris dulcis aura pectus incubat.
Floret & fides ſalutis obſes, hoſpitiſque Numinis;
Errat & ſeuerioris ordo per vultus modeſtiæ:
Soſpitantque blandientes gratiæ decus decentulæ;
Et venuſtulæ leporem gratiæ ſimul ſuperſtitant.
Cras amoris, ò ſodales, purus ignis axe decidet;
Cras amore perbeato terra, cœlum, mundus ardeat.
Cras amare qui negabit durus ille totus æneus.
O vt affluenter oſſa roribus pererrat arida;
Aureoque delicatum rore lucis pectus irrigat!
O vt alteros amores, & ſuos oblitus induet!
Nil remordet, ſi laceſſis; nil reponet, adde vulnera.
Euolat ſub aſtra ſenſus; & madeſcunt ora lacrymis.
Perpluit meraciore vena temperata nectare.
Riſus ablegatur ore, conticeſcunt & ſa-

facetiæ :

Offici metus magister, ac in omne tempus vtilis,
Patre seminatus igne, vana pellit verba tempore.
Si quid improbè vagatur; haud abire sic dolor sinit:
Pondere æstimata iusto, pœna adest inusta corpori;
Perque planctus, lacrymasque vox in ægra verba soluitur.
Personant sic ære rauco verberata muta cymbala,
Nec sonum datura dulcem, si graui manu peperceris.
Clausa sic lagena lumen inscium premebat abditè.
Læsa donec non viris est. bella, queis lagena conficit.
Cras amoris, ò sodales, purus ignis axe decidet.
Vt per ossa glíscit ignis; & furit nocenter innocens:
Carpitur quod intus igne, lacrymis fluit perennibus.
Sole sic in ima vallis manat icta nix in Algido
Fluminum per ampla rura digerens tributa mollia.
Ligna sic & igne crudo non suo correpta tempore.

 La-

Emicat laudes in omnes igne ducta forma Dædalo;
Præpotentis & vigoris dulcis aura pectus incubat.
Floret & fides salutis obses, hospitisque Numinis;
Errat & seuerioris ordo per vultus modestiæ:
Sospitantque blandientes gratiæ decus decentulæ;
Et venustulæ leporem gratiæ simul superstitant.
Cras amoris, ò sodales, purus ignis axe decidet;
Cras amore perbeato terra, cœlum, mundus ardeat.
Cras amare qui negabit durus ille totus æneus.
O vt affluenter ossa roribus pererrat arida;
Aureoque delicatum rore lucis pectus irrigat!
O vt alteros amores, & suos oblitus induet!
Nil remordet, si lacessis; nil reponet, adde vulnera.
Euolat sub astra sensus; & madescunt ora lacrymis.
Perpluit meraciore vena temperata nectare.
Risus ablegatur ore; conticescunt & fa-

facetiæ :

Offici metns magister, ac in omne
tempus vtilis,
Patre seminatus igne, vana pellit verba tempore.
Si quid improbè vagatur; haud abire sic dolor sinit:
Pondere æstimata iusto, pœna adest
inusta corpori;
Perque planctus, lacrymasque vox
in ægra verba soluitur.
Personant sic ære rauco verberata
muta cymbala,
Nec sonum datura dulcem, si graui
manu peperceris.
Clausa sic lagena lumen inscium
premebat abditè.
Læsa donec non viris est. bella,
queis lagena conficit.
Cras amoris, ò sodales, purus ignis
axe decidet.
Vt per ossa glifcit ignis; & furit nocenter innocens:
Carpitur quod intus igne, lacrymis
fluit perennibus,
Sole sic in ima vallis manat icta
nix in Algido
Fluminum per ampla rura digerens
tributa mollia.
Ligna sic & igne crudo non suo correpta tempore.

Lacrymis madent amaris, roſcido liquore perpluunt.

Cras amore perbeato terra, cœlum, mundus ardeat.

Scilicet per hunc amicus aſpici decor renaſcitur:

Et ſequax ad omne munus indoles vigeſcit illico.

Diligi per hunc amica ſurgit illico ſeueritas:

Laudibus ſuis adulta floret aucta honore dignitas.

Vnda ſic decurrit omnes obuoluta more lubrico

Hortuli vias, & hæc, & illa rore læta gramina

Irrigat, ſciens odoris, nutrit & coloris artifex.

Innubæ ſimul decenter emicant roſæ venuſtulæ:

Candicant ſimul liguſtra: floret hic acanthus innocens;

Calthulæque purpuraſcunt; & leues olent amaraci.

Vere fulget omnis hortus, vere ſpirat omnis area:

Delicata & illa odorum: delicata opella luminum.

Cras amoris, ò ſodales, purus ignis axe decidet;

Cras amore perbeato terra, cœlum

lum, mundus ardeat.
Flamma si cui pectus ardet, flamma si cui pectus occupat.
Nec tyranni tutus ille, sed nec ora mortis horreat.
Vulneret, secet, micante miles ense membra distrahat:
Pertinax vt ante iuris, fixus ille mole stat sua:
Et Deo suo doloris inter arma, gaudet vnicè.
Insulas sic æquor vdas vnda adæstuante verberat;
Innocenter at relapsum lambit hinc, & inde littora.
Increpat sonor proteruus; & faces sonant tricuspides:
Sæuit hinc insanus Auster: sæuit imbriferque Circius.
Africus tonat procellis; vndecumque stridet Aeolus.
Integro iugo procellæ durà cautes ridet impetus;
Fulminumque ridet ictus, parte nulla diminutior.
Cras amoris, ò sodales, purus ignis axe decidet;
Cras amare qui negabit; durus ille totus æneus.
Ergo cras cœlestis ignis imbre puritatis aureo

De suprema parte mundi littus irrorabit inferum.
Cras amoris, ò sodales, purus ignis axe decidet;
Vret ille corda velox, pectus vret ille feruidus.
Immemor non vret ille corda, non & ille pectora.
Cras amore perbeato terra, cœlum, mundus ardeat.
Flamma ludet per capillos, ludet innocente cuspide.
Flamma lambet, nec nocebit, aureas tactu leui comas.
Cras amare qui negabit; durus ille, totus æneus.
Et stupet miracla flammæ quidquid est virorum amantium,
Et stupet qui numquam amauit: est amoris hæc potentia.
Cras amoris, ò sodales, purus ignis axe decidet.
Cras amore perbeato terra, cœlum, mundus ardeat.
Cras amare qui negabit; durus ille; totus æneus,



DEO

IN EVCHARISTIA LATENTI

Religiosus Amoris, Admirationis, & Adorationis cultus.



Amor.



Ge flamma; quæ sequacem mihi pasceris animum:
Age lambe cor, amat se tibi fingere simile:
Penitisque de medullis Amor implicita tuis
Rape corda nostra tecum; rape, & per supera loca:
Vbi cœlites canentes iterata tripudia.

Agi-

Agitant Deo, nouiſque feruent vbi amoribus animæ.
Simili quis igne mecum nunc concitus animum;
Parat ire? fugitat vrbes celer, alloquia hominum
Fugit; vt ſolent latenter famuli pede propero
Dominos ſeueriores: ſimul ite, ſequimini
Amor vbi ſueuit, alma face pectora coquere.

Adm. Auditis? an me vocibus irritis
Errore grato ludit amabilis
Inſania? auditis? recenti
Sidera perſonuere cantu?
Cui temperatis cui ſuperi fidem,
Aptare ſacris carminibus iuuat?
An aſtra commutare terris;
An patrium hic placet eſſe cœlum?
In orbe vires hic vbi paruulo
Oſtentat orbis maximus artifex:
Et guttula ſacri liquoris,
Sidera quidquid habent, recondit.
Cœleſtis ò vis mira potentiæ!
Cui ſiderum non ſit ſatis ambitus,
Nec ſe minor, nec Patre; quàm nunc
Exiguo ſolio reſedit!

Ade.

Ado. Patris ò magni Filius almus,
Nec Patre minor; decorumque
hæres:
Salue ò hominum, superumque
pater.
Tua non parco lumine superi
Celebrant positis numina genibus.
Non has possit mortalis opes
Cernere; tua nec lumina viuus;
Sed dum vrbes, ac tecta reuisis
Radios condens Numinis aureos;
Benè triticeo conditus orbe;
Submisso te poplite adorant,
Nigra Aegyptus, diues & Indus,
Colit Oceani sinus extremi;
Premit Aethyopes vbi casuris
Radijs Phœbus: rigidusque Getes;
Et quæ gelido terra sub axe
Latet ardenti imperuia luci,
Plena seuero colit horrore.
Am. Quid cessas facibus faces
Quid cessas amor addere?
Intra pectoris intimi
Aestuat penetralia
Flammis subdita flamma
Nec dum cor satis ardet.
Adm. Cœli regia maxima, &
Pulcri quidquid habes vale;
Non tu detineas meum
Lumen luminibus tuis;
Posthac omnia pulcra.

Vno

Vno mirer in orbe.
Ado. Huc adſis hominum frequens,
Huc adſis ſuperum chorus:
Orbibus cerealibus
Totus rerum opifex latet.
Hanc optat ſibi ſedem,
Regiumque tribunal.
Am. Diuinus amor iubet hæc fieri.
Proh quæ dio vis in amore eſt!
Illi imperium eſt in mortales;
Illi in ſuperos eſt imperium.
Horrenda Deum ſceptra gerentem
Paruam in frugem compellit amor.
Diuinus amor iubet hæc fieri,
Proh quæ dio vis in amore eſt!
Adm. Qui mari leges, poſuitq; fines
Maximus rerum ſator, atq; cuſtos,
Qui mare, ac terras fabricatus, alto
Fornice texit:
Quantus æterno premit aſtra nutu;
In dies quantus iubet ire menſes,
Algido quantus tonat, & coruſco
Fulmine terret.
Vocis humanæ imperium ſequutus,
In locum eiecti penetrat liquoris;
Fruge depulſa ſimul ille paruo
Conditur orbe.
Ado. Olim credidimus cœlicolum patrem
Compellaſſe homines; cum tenuit Deum


Per-

Perfusus liquidis cespes odoribus
Tunc cum iustus Enoch viuere desijt;
Curru flammifero raptus in æthera.
Vel cum simplicitas, & pietas Noë
Effecere Deo prorsus amabilem.
Sed nunc alloquijs quàm meliùs tuis
Vtor nunc, tua cum fulminis immemor
Nescit tela manus: cum faciem Dei,
Et te triticea condis imagine:
Ex illo meliùs te solio colam.
Am. Diuinus amor iubet hæc fieri:
Proh quæ dio vis in amore est!
Seu diuinam subeat mentem,
Seu mortali pectore lateat.
Heu quantis heu ferueo flammis.
Secede procul, procul ardentes
Amor ah precor, ah remoue flammas:
Superos pectus non capit æstus
Mortali dùm pondere premitur
Adm. Cœlestia nec prodigia fides
Capit humano prodita sensu.
Naribus, oculis, linguæ panis
Blanditur odor, color, & vini
Sapor: at verè negat hæc, cernit
Intima quisquis meliore fide.
Quodcumque latet, Deus est intus:
Deus ipse sedet quantus Olympo
Cinctus honesta tempora luce.
Ado-

Ado. Axe relicto tenet humanos
Deus ergo lares? qua te possim
Mortalis inops, excipere domo?
Non si varijs mihi desudet
Africa in antris, non si laquear
Mihi Pannonio luceat auro:
Non si gemmas asarota terant:
Hospite sedes sit digna Deo.
Vnum, mihi quod superat, tibi cor
Voueo, non tanto hospite dignum.
Hoc te excipiam Deus hospitio.

Am. Vt subit mortale pectus, fruge parua conditus
Gentis humanæ repertor, seminata coelitùs
Flamma pectus intrat; ossa luce amoris irrigat.
Dumq; diuinos amores gustat haustos ignibus,
Ardet, æstuat, quietem nescium pectus pati:
Viuit inter viuit ignes; atque amore deficit.
Jam sat est ò Diue: iam sat cor amoris ignibus:
Iam sat æstuat mihi cor: vror ah vror nimis.
Non amores pectus, vltra pectus haud ignes capit.
Igneo pectus profundo pectus absorptum perit.

In



In die visitationis

B. VIRGINIS

S. IO. BAPTISTÆ

VINDICIÆ.





Romissus patribus
Puer,
Dulcis cura parentis:
Cœli numen amabile
Rerum summa potestas.
Paruulas mihi percutit
Blandis vocibus aures.
Leuis ille prouocatis
Aquilonibus fugacior,

Per-

Perque summa montium,
Et per ima vallium
Nostros amplexus petit, arctæ
Fœdus amicitiæ.
Meque vinclis, quæ parentem
Amor addidit sciendi;
Inimicus ardor eheu
Sobolique, patribusque
Amat illico resoluere;
Sibi nexibusque iungere
Amat beatioribus.
Victor inferi tyranni,
Ades ò salutis auctor.
Tuus ille, quem propinquæ
Esse nuncium salutis,
Ante colles, ante montes
Fontiumque, fluminumque
Ante lubricos susurros,
Ante murmur inquietum
Lene sibilantis auræ
Mente certa destinasti,
Esse nuncium salutis:
Heu iacet infelix inimici præda tyranni;
Et duris dat colla catenis,
Criminibus demersus auitis.
Hæc puer ingenti perculsus pectora thyrso,
Pectora non assueta licet mortalibus auris.
Aurea iam sextus reparabat cornua men-

mensis;
Ex quo effoetum vterum, matre admirante, repleràt
Nobilior patribus soboles. Nondum ora, nec aures,
Olli nondum oculos ignota effinxerat arte
Rerum fabra parens; & magnus stabat in æde
Interrupta animus; patriumque oppressa gemebat
Mens ignara nefas. Votis tune ille parentum,
Carminibus vatum sacris, tune ille salutis
Nuncius humanæ, & lacrymis tam sæpe petitus?
Sic equidem, quos auersos à lumine cœli,
Nil sibi debentes, inclusos carcere duro
Tartara habent: sic dum numerant sua tempora, certis
Indicijs reputant. De te ferus ille triumphet?
Ille ferus? cui tu supremum indicere Bellum,
Certus ades vincendi. Age virgineoque iacentem
Excute Regem vtero; iam illum, iam bella vocant te.

Quid

Quid iuſtum pugnæ ceſſas accerſere
tempus?
Hoc primum certamen erit; tu glo-
ria cedes
Victori non parua Deo; teque ille
soluto,
Tum reliquos certam doceat ſpera-
re ſalutem.
Parce lacrymis, dolori
Parce puer ſuperum voluptas.
Tibi fauſtltas benigno
Ab axe tota depluit.
Adlapſa coelo mitior
Integritas totum ſibi
Innoxium te vindicat;
Purumque criminis, patri
Habere donat cœlitum.
Ille iam ſimilis tui
Intra viſcera Virginis,
Matris ore, te ſolutum
Iubet ire vinculis.
Tuæq; dum parentis amplexus pe-
tit:
Complexibus tibi ſe beatioribus
Innectit, implicatque. conſpectus
pauet
Genitale crimen, & minas tollens
graues
Fruſtra, quòd ante tempus é regno
cadat:
Vt ceruus audacem altero viſum
iu-

iugo
Canem, profundo anhelitu mollis, fugit.
Iam liber acres regis expertus manus,
Quos dura ſcelerum ſeruitus preſſos tenet
Foueto ſpe victoriæ.
Fortunate puer, ſuperùm cariſſime Regi.
Et quæ fœta tibi magnorum nomina laudum
Ille dedit? Cœli interpres, & numinis; aſtris
Qui ſe iam facilis noſtrum demiſit in orbem.
Præſentem canis ergo Deum, felicior olim
Vatibus, heu ſeram edoctis ſperare ſalutem.
Proximus ille, ſibi ne quæ ſint inuia, durum
Sternere iter, te accinctum operi, iubet iure priorem.
Ergo non tardus præſenti corda ſalute
Nuncius impuleris; populumque timoribus actis
Illico præcipies omni ſe ſoluere noxa.
Nos igitur, nos te ſummi per viſce-

ra

Te per quanta manet, superùmque hominumque parentem
Humani generis pietas reparare ruinam;
Vnde inopes Deus ipse polo miseratus ab alto est:
Noctem inter, mortisque inter simulacra iacentes
Lucifer innocuus venturo sole serena.
Quin etiam, si quæ pacis via ducit in ædem,
Dirige iter dubium, & meritæ nos redde quieti.
Felices pueri, felices matribus ambo
Maiores, à prole trahit quantum vtraque laudum?
Quid nato non tu debes; quæ prima parentem
Numinis, & superùm reginam in Virgine adoras?
Ille quidem totum puerili in pectore versat
Numen; at ingentem partem tibi donat habere
Officij memor; & sanctis te vatibus addit.
Tu quoque tu Numen, terrisque datura salutem
Virgo, eademque parens, dignas ne re-

rependere grates
Sufficies vmquam? cœli cui ſceptra, patremque
Conciliat, quam tu ſobolem ſine pondere geſtas.
Sis felix, ſemperque nouo te munere natus
Augeat, aſtrorumque datum diadema ſecundet.
Tu pietatem vtero humanæ ſub imagine formæ
Obtectam, poſtquam nouies induxerit ortus
Luna ſuos, hominum duri miſereſcere caſus
Expertam, terris gignes. ò vita, ſaluſque,
Dulcior hyblæiſque fauis in rebus amaris,
Vnica ſpes, iterum noſtro ſis nomine felix.
Nos procul eiecti patrio de limine cœli,
Infelix Euæ ſoboles, te in vota vocamus,
Et faciles gemebundo aures clamore ferimus.
Ecce tibi trahimus ſuſpiria pectore ab imo,
Damnati ad valles lacrymarum, & grandibus ora

Humecti guttis, proni tua iura, tuamque
Imploramus opem: genibus ne reijce clientes,
Seu mater, seu tu mauis audire patrona.
Ergo ades ò felix, & tempestatibus actum
Pectus, namque potes, oculorum luce serena:
Et quibus astra beas verte ò pia lumina, verte.
Et postquam exilio nos indulgentia Patris,
Rursus inire poli patrias reuocauerit ædes,
Quem tu nunc vtero infantem geris, ora tueri
Da propiùs, vultusque Dei, mea vota, Deumque,
Teque, audire bonam, mater dulcissima mater,
Spem certamque reporto: tuum nam fallere non est.
O clemens, ò sola hominum miserata labores,
Et facilis voces miserorum audire precantum.

Ad



AD CVNAS MAGNÆ VIRGINIS NÆNIA VIRGINITATIS.





Vritas quæ nuper acta dixit ad cunabula
Virginis, referre mens est, patre docta Numine.
Quid dies ferat futura, vita quid mortalium,
Prima cum lucis crepuscula haurit in vagitibus.
Vt solet, Deo parenti cœlitum inter agmina
Adsidebat illa, fœta gaudijs cœlestibus

bus ;

Numen illi sæpè terras ante mundi semina;
Nec minora regna cœlo iura per certissima
Annuit, replere mentem nescium fallacijs.
Cum caput puella prodit regium, certè genus;
Cum genus regale Virgo, mox futura Numinis.
Diua mater hausit auras, diua mater Numinis.
Recreare nata cœlum; ferre nata gaudium;
Deque mortis ore, deque criminum tyrannide
Deque auerni nata stirpem faucibus reducere.
Protinus serenat olli luce præter ordinem
Aurea Deus remotiora mentis intima:
Pupulamque labis omnis, integramq; criminis,
Imperì illius vereri iura primam destinat.
Principatus vt nouelli prima vidit ordi,
Illico datura grates, prona patri concidit:

Et

Et cohorte deuocata cœlitum adſi-
dentium,
In nouas itura ſedes, axe ſummo la-
bitur!
Ante cunas vt volatus feſſa ſedit pu-
pulæ;
Plena mentem, plena pectus incuban-
te Numine,
Gaudiorum præſcia his reſoluit ora
vocibus.
Virgo ſalue, quam ſecundis op-
tat ictum amoribus
Iam diu cœleſte Numen: mente to-
ta prouocat
Te diu dotale cœlum: Virgo votis
ſæpiùs
Sæpiùs promiſſa noſtris: intimis è
ſenſibus
Fata dum pater reuoluit: mequè
terris omnibus
Exulare condolentem, collocutioni-
bus
Dulcibus leuat ſeuera mentis ægritu-
dine.
Quid vereris, inquit ille, mentis ò
proles meæ,
Cara nobis præter omnes. parce
iam timoribus
Non mouenda fata dixi. regia ex o-
rigine
Virgo mox inibit orbem, digna cœ-

Io viuere;
Et ſacris liganda caſto Numini connubijs,
Quà diem reuelat Oetæ, quà recondit æquore,
Phœbus idem phœbus alter; ſigna ſuſtollet tua.
Præter Herculis columnas, præter orbis littora
Iura puritatis aſtris terminabit vltimis.
Imperatrix ducet agmen pulcrior pulcherrimum,
Auribuſque mox Quiritum non audita nomina
Iapones, totoque ponto ſegregatas inſulas,
Puritatis annuentes iuſſa coget exequi.
Tum vetuſtis acta regnis dura ſegnis exilit,
Dura carcerum libido triſte clamans perferet:
Gentibuſque tu vocatis iura reddes mollia,
Imbueſque mox pudicis victa regna moribus.
Venit ætas, & dierum maximarum maxima;
Integerque ſæculorum pulcher ordo naſcitur;
Nu-

Numen & mihi benignum fata seruat omnia.
Virgo clarior lapillis, Virgo gemmis Indicis
Purior, geluque molli, molliorque vellere;
Omnis ò medulla laudis, flos & elegantiæ,
Sola spes mundi labantis, ò voluptas vnica,
Cœlitumque amor decusque, sola cura Numinis.
Parce nunc tenella curis. parce pupa lacrymis:
Næniam tibi canemus, næniam pulcherrimam,
Næniam, qua concinetur nulla posthac pulchrior
Pulchra sic inuisis auras talis orbi nasceris.
Quale cedrus è supremo montium cacumine
Vallium dumeta lapsu vindicat serpentium:
Deque bruma, deque perfurente victrix Aeolo,
In triumphi facta mores, in triumphum nobilem,
Inuium semper virenti fronde vestit verticem;
Maior imbrium procellis, maior au-

 strris

ſtris arbitris,
Maior æſtu, maior vndis, maior omni frigore.
Næniam tibi canemus, næniam pulcherrimam,
Næniam, qua concinetur nulla poſthac pulchrior.
Qualis vt cupreſſus atram findit arcem nubium,
E Sionis monte crines auſa cœlo infigere;
Auſa prouocare cœlum ſpiculo mox vnico
Aut iniquo palma ſicut preſſa ſurgit pondere;
Vnde concidiſſe debet docta vires ſumere.
Vt merentibus capillis ſerpat olim viuida;
Improboſque per labores, perque vitæ funera
Altius ferenda fronti, & irriganda ſanguine.
Næniam tibi canemus, næniam pulcherrimam;
Næniam, qua concinetur nulla poſthac pulchrior.
Inter vt dumos tenaces terra ſubmittit roſam,
Floribus nouerca tellus, floribuſque regijs:

Ob-


Obſideri ſed rubetis ſæuiens immanibus,
Explicat caput ſuperbum matre ſæua longiùs,
Purpuram mollis coronæ contueri callida.
Vulnerata ſicut vda myrrha prodit arbore
Myrrha fortis in duellum temporis laceſſere
Ferreo voraciores dente morſus inuidos:
Myrrha regijs ſepulcris intumeſcens condier;
Myrrha reges grata mortis vindicare iniurijs;
Pulchra ſic inuiſis auras: talis orbi naſceris.
Næniam ſic dixit olim puritas pulcherrimam,
Næniam, qua concinetur nulla poſthac pulchrior.





BEATAE VIRGINI IN CVNIS CHARITVM

NÆNIA.





Vc ades ſopor au-
reus;
Quò te Virginitas
vocat:
Blandis blandulus
inſide,
Cunis inſide,
Ocellis inſide.
Ocellis vbi gratia
Hoſpitatur, & abditum
Tenent hoſpitium ſacra
Amorum agmina,
Honorum agmina.
Hic tibi ſolium loca,

Ne ſperue imperium datum,
Maius imperium polo,
    Dulcis tyranne,
    Oculorum fur.
Surge ſomne, per aurea
Lude lumina Virginis:
Illa ſunt duo ſidera,
    Maiora ſole,
    Maiora luna.
Orbis pendet ab his magis:
Hinc vitam trahit auream:
Hinc lucem trahit igneam: hinc
    Haurit colorem:
    Haurit calorem:
Hinc puram ſine nubibus;
Hinc cælum ſine ſordibus;
Ex hoc ſole beatiùs
    Et auram rapit,
    Et ignem rapit.
Vernat his oculis decus:
Ex his gratia ducitur:
Hauriendum oculis bonum,
    Et ver amorum,
    Et ver honorum.
Hinc omnis trahitur lepor:
In iſtis oculis leue:
Ex illis oculis graue;
    Purpurat honor,
    Fulminat amor.
Laudes hic benè purpurant;
Hinc & principium trahunt

Verna tempora, nec timent
Hyemes graues,
Graues æstates,
Vno sed simul omnia
Complectari tibi verbulo:
Numen his potuit capi:
Deus capitur.
Deus trahitur.
Huc ergo sopor aureus;
Quò te Virginitas vocat:
Blandis blandulus inside;
Cunis inside;
Ocellis inside.

Pupa blandà, pupa dormi;
Blandiens Deo voluptas;
Cura cœlitum puella;
Terræ honor, decusque cœli;
Omnium medulla laudum,
Flos & elegantiarum;
Pupa, ò quiesce pupula.

Ne vagi mea pupa, blanda pupa;
Cœli delitiæ venustiores;
Terræ diuitiæ beatiores;
Niue ò candidior, geluque molli;
Phœbo, lucidiorque Noctiluca.
Quid vagis mea, quid gemis dolenter?
Ne vagi mea pupa, blanda pupa.

Lin-

Linque paululùm seuera;
Parce nunc tenella curis;
Anxiæ hinc abite curæ:
Ite, corda quæ tenetis,
Corda Virginis tenellula.

Quid genas mea pupa rore molli
Spargis, & lacrymis mades obortis?
Et dulcem tibi lacrymando somnum
Rumpis? ah mihi rumpitur meum cor;
Sat datum est lacrymis: sopori ocellos,
Da Virgo teneros sopori ocellos.
Quid vagis mea pupa sic dolenter?

Ah nimis citò obsides cor
Aureum meæ puellæ:
Mentis ah labor malignus
Cuncta bella deuorasti.
Latro subdolus videris.
Virgini rapis soporem:
Redde latro, redde somnulum;

Dormi iam mea vita, iam quiesce;
Non tibi genitale crimen vllam
Inussit maculam, notamue inussit;
Non tu digna ciere Virgo luctus.
Non tu plangere digna tam dolenter;

Quæ

Quæ ſecum genitale crimen affert
Tolle pupula lacrymas, dolores.

Somne portus ò malòrum;
Huc ades quies dolorum
Otij bonus miniſter,
Irriga, vt ſoles, natantes
Virginis vagos ocellos.
Hæc tua eſt puella ſomne;
Coge paululùm quieſcere.

At vobis malè lacrymæ ſit vdæ;
Quæ meæ maculatis ora pupæ.
Vos mortalibus intulere patris
Primæua ſcelera; ergo in hanc puellam
Vobis imperium datum nec eſt, nec
Vnquam erit; timuit meæ puellæ
Candidos genitale crimen ortus:
Quid meæ maculatis ora pupæ?

Cura cur ſed ante tempus
Cor meæ rapis puellæ?
Et mihi meos amores,
Et rapis meos lepores?
Sat tuum tibi manebit
Cura tempus: at tenellam
Linque paululùm quieſcere.
Heu tempus veniet mali dolores:
Mæſta quot lacrymas dabit, quot imo

Lu-

Luctus corde trahet, grauesque planctus?
Pendentem trabe cum videbit atra,
Multo sanguine filium madentem.
Ne iustum lacrymæ ciete tempus:
Molli tempora dentur hæc sopori.
Ne vagi mea vita, blanda pupa;
Dormi pupula, blanda pupa dormi.

Iterate carmen, iam sopor in artus venit
Ciet soporem cantus, & mentis graues
Tranquillat æstus; vuidas siccat genas.
Vt pupa dormit! aspice; vt oculos leue
Dulci reclinat somno! vt os inambulant
Risus, voluptas, omnis & beatitas,
Gratia, leporque, gaudium, & mollis quies!
O somne votis expetitus omnibus.
Per te serenus explicat frontem grauem
Risus puellæ, & explicat terris polum.
Per te voluptas errat oculis, & bona
Haurire nobis inde licet, & gratia

Per-

Per te, lepoſque dulce labris in-
ſident.
Iterate carmen, vt ſopor in artus
magis
Veniat, & illam vinciat totam
ſibi.
At dum quieſcit, & ora nobis blan-
dula,
Haurire nos permittit, & liquidum
oculis
Haurire gaudium: Deo quanta, &
ſolet
Qualis videri, cum illius medulli-
tùs
Combibit amorem: qualis & pri-
dem fuit
Spectata Regi, dulce cui nomen
facit
Pax alma: nobis dum licet per
otium
Totam intueri, & ſomnus artus
alligat;
Coloribus imitaminor poëticis:

Fulcite pupam floribus;
Stipate malis pupulam:
Amore languet ſaucia;
Amore languet ebria:
Illi propinauit merum
Meliore de cado Deus:
Felix amare quæ Deum

Sic-

Sic potuit, & Deo frui.

Summi ſiniſtra Numinis
Illius aureum caput
Petit, cadenſque ſuſtinet:
Et dextra ſummi Numinis
Ambit ſacris complexibus.
Et ſacra nectit vincula.
Quàm pulcra es inter ceteras,
Quæ vim facis magno Deo:
Amare quæ cogis Deum!

Qualis tenebras cum fugat orbi
Aurora noui nuntia ſolis;
Cœloque dies reuehit lucem;
Talis ab aluo pupula matris
Naſcente die pulcrior exit.
Et qualis cum intumuit ſole,
Et totis ſe Cynthia radijs
Saturat Phœbi, & choreas agitat,
Et mæſtas exequias celebrat;
Suppletque ſolo lumina fratris;
Ducitque choros ſidereos dux:
Talis ab aluo pupula matris,
Lunaque vaga pulcrior exit;
Ducitque choros virtutum dux:

Quales medio iactat ab orbe,
Maioribus emenſis ſpatijs,
Ignes nitidis è quadrigis
Sol terrarum, ſuperùmque decus;
Qui

Qui per cœlum, qui per terras,
Tractuſque maris radios fundit;
Noctemque fugat, tenebraſq; fugat:
Pupula tantos iactat amores;
Cum primùm oritur, terraſque
trahit,
Superoſque trahit, vincitq; Deum.

Qualem iuſtis cum caſtra duci
Ponuntur in aprico ordinibus,
Præbent ſpeciem, faciuntque me-
tum:
Pupula talem præbet ſpeciem.
Cum primùm oritur; terraſque
trahit,
Superoſq; trahit, ſuperatq; Deum.

Ocelli tibi pupa ſunt columbæ:
Et comæ tibi pupa ſunt nitentes,
Nitentes ſimiles comæ capellis,
Quæ paſtæ Galaad vagantur alto:
Et greges ouium, fidelis vndis
Quos merſit fluuialibus magiſter,
Et binos alit vnaquæq; fœtus,
Dentes aſſimulant meæ puellæ.
Vittæ coccineæ labella pupæ
Quàm benè aſſimilem, labella
melle
Quæ multo madeant, fauiſque
mixta.
O quanto tibi purpurant nitore,
Au-

Aureoque genæ nitent rubore!
Sic & punica grana lentus ambit
Cortex, & caput implicat corona.
Sunt & fortia prælijs acutis
Propugnacula, turris alta, collum;
Collum turribus altius Dauidis:
Milleni clypei arma fortiorum
Pendent inde, tumultibus cruentis;
Speratum auxilium. vbera & sequacis
Conferam capreæ hinnulis gemellis;
Quos ad lilia mater egit aurea.
Quam sic pupa Deo places amanti!
Quàm sic pupa Dei meres amorem!
Tuo pupula nos amore dona;
Si te dignè homines queunt amare

Quàm bellè sata pupa Rege summo
Calceata pedes moues superbos?
Juncturæ feminum tenax ligantes,
Vincunt, tortile quod laborat aureum
Reginæ opifex monile collo.
Tornatumq; gr...ui refert labore
Craterem nihil indigum liquentis
Vini, Virginis vmbilicus aureus.
Et venter segetum refert odoris
Vallatum vndiq liliis aceruum.
Papillas similes meæ puellæ
Dicam ego capreæ hinnulis gemellis,
Dicam candida colla turri eburneæ;
Pi-

Piſcinis Heſebon graues ocellos,
Quæ portas Solymæ rigant capacis.
Et naſus tibi longa turris, vnde
Spectari propius queat Damaſcus;
Et Carmelus erit caput puellæ
At quæ nectareo madent odore,
Et quæ purpureo rubent nitore
Cui dicam ſimiles comas puellæ?
Tibi purpura regia, ò canali
Quæ mades religata flexuoſo.
His Regem ſuperùm ò decora Virgo
Vincis fortiter aureis catenis.
His nodis homines trahis volentes:
Grata compede cuncta pupa vincis.

Ohe iam ſatis eſt; Charites; iam lumina ſomnus
Occupat, & pupæ totos amplectitur artus,
Per celeres nemorum ceruas, capreaſque ſequaces,
O Solyma natæ vrbe ſacra, ne abrumpite ſomnos;
Ne bona diripite auguſtæ ſolamina mentis.



THADDAEO

PRINCIPI BARBERINO

ΜΕΛΙΣΜ ΣΜ ΟΝΙΚΙΟΝ.

In gratiam Antonij Deodati sub eius auspicijs de Philosophia disputaturi Anno MDCXXIV.

Strophe I.



Vemcumque Rex mortalium
Fecit timendum gentibus, aureis
Ornatum tumidas ponderibus manus,
Regale corpus purpuratis
Vestibus, excelsa reddentem iura curu-

ruli;
Et vndiq; armis horridum pauendis:
Ille non iram inuideat Leoni;
Cui Rector ætheris nitentis
Regnum in quadrupedes dedit:
Non tela, quæ rex alitum gerit Deo:
Iratus vnde concutit
Nubila, diminuitque montes.

Antistrophe I.

FErire rex apum inscius
Exempla regni format amabilis.
Ingentes animos Romuleis pares
In corpore angusto reuoluit.
Præteritique tenax, venturi prouidus idem,
Munire doctus oppida, & secare
Partibus iustis operum labores.
Tu mellis artifex, liquoris,
Quem tellus ferat, optimi:
Natura iussit esse te dulcedinis
Pronium. & fugandis ceras
Suppeditare faces tenebris.

Epod I.

TEstis meorum Barberina carminũ
Ausonijs domus aucta coronis
Im-

Imperium Pylios extendere longiùs per annos
Digna, deprecantibus
Populo, atq; patribus ſac inuidendum
Nepotibus, Teriſque deindè poſteris,
Quo nos imperio beas
Diuùm, hominumque Pater.
Sic noſtrum, ſiç natorum beèt altera ſæcla.

Strophè II.

AB rege mellis triplici;
Qui ludit olli ſtemmate regio,
Partes imperij nobilis inſtruit:
Seu publicæ inſudat quieti,
Mollia dum peragit pax otia, ſeu ſibi virtus
Priuata ſancit iura, certa morum
Norma ſubiectis populis ſutura:
Seu ſuadeant nil ſentienti
Aeternum cineri decus
Iniuria aucupari, & hoſtilis ſuror,
Aut patriæ dulcis quies,
Funera per properata bello.

AntiStrophe II.

PErmitte magno patruo
Permitte Princeps pace domeſti-

sticum

Exornare decus, moribus integris;
Foroque leges Christiano
Reddere; & extremum diuinis legibus orbem
Vltro volentem subdere, abdicato
Impio Martis fremitu; auribusque
Timenda Romanis, inermem
Olim frangere nomina.
Et alter ostro frater insignis sacro,
Virtute par, æuo prior
Pacificas vigeat per artes,

Epod II.

TE bella fulminare rex apum docet;
Sanguineas tractare sagittas:
Asperius virtutis opus. tibi celsa membra finxit,
Apta membra prælijs;
Et insolentem tristium pauorum
Natura mentem; humore vires viuido
Multo sanguine diluit.
Dardana Roma suum
Dicitur armatum sic expinxisse parentem.




Stre-

Strophe III.

DEsiste iam priscos duces
Romane votis flebilibus queri;
Per quos imperij stat tibi terminus
Extremus orbis trans columnas
Herculis, & magnæ stat famæ terminus æther.
Exurge Roma, nobiles triumphos
Rursus, & regum pueros videre
Nexos catenis, & tyrannos
Fulgenti Capitolio
Bello coactos supplices procumbere
Atque in triumphali sacro
Reddere thura Deo Quiritum.

Antistrophe III.

QVis nunc nouus Carthagine
Demissus alta perfidus Annibal,
Obsessis propiùs mœnibus audeat
Inferre bellum? prouidos recenset
Roma'si plures Fabios in vno,
Multosque Marcellos, docentes
Expertem insidijs fugam
Inire Pœnos, vincere assuetos dolis:
Te Roma, Princeps, auspice
Asdrubali objciet Neronem.



Epod III.

INertiam repelle tanti Principis
Auſpicijs vrbs inclyta quondam;
Deſidiam nunc docta leuem nimis,
otiumque pacis:
Bella ſic cohortibus
Clangore rex apum æmulo tubarum
Indicit, explicatque legiones ſuas:
Dum vitam tenuis regit
Spiritus, impatiens
Deceſſiſſe loco, atque hoſti concedere flores.

Strophe IV.

QVamquam hæc rudimentum leue
Audacioris militiæ ſuis
Ponit, mox homines vincere peruicax,
Et ire in obſtantes procul cateruas,
Et petere inflicto generoſam vulnere mortem.
Non militum illum tenuere turmæ,
Horridæ quamuis iaculis, & haſta;
Non auſa fulmen æmulari
Nitro, & ſulphure machina,
Nimboſque, turbineſq; ſœuis ignibus,
Et flammeum miſcens metum,
Cum tonitru reboante cœlo.

Antiſtrophè IV.

OBſeſſa miles limina
Tenebat arcis, pariete diruto:
Nequidquam oppoſitu corporis vltima
Pericla defeſſus tuetur
Incola; quà crebro portam dedit a-
riete murus,
Succedit hoſtis: quà integer ruinæ
Pallidam nondum patefecit vrbem;
Teſtudinem admouet, graduſque;
Prædamque impatiens moræ
Spe deuoratam penè iam prænſat
manu.
Vbique pallor, & metus
Cuncta tenent, & imago mortis.

Epod IV.

APes ferocis aduocare prælij
Stat ſocias, comiteſque pericli.
Protinus educunt aluearibus, & fe-
rocientes
Irruunt in hoſtium
Vultus, nec ora ſpiculis adactis
Ceſsát priùs ferire, quàm victos procul
Hoſtes mœnibus egerint
Vertere terga fugæ.
Tanta etiam exiguo virtus in corpore
regnat.

Aldroandus lib. 1. de inſectis.



SCIPIONI CARD. BVRGHESIO

In gratiam Clementis de Clementibus de Encyclopædia theses proponentis ad disputandum sub eius auspicijs.

Ad theses de vniuersitate scientiarum. De Burghesijs laudibus Encyclopædiæ Epænus.

ODE I.



Ama, quam tellus peperit sororum
Vltimam Cæo, Enceladoq; fratri;
Quæ super turrita sedes potentum
Culmina regum.
Abditis illi domuum latebris
Arbitro quidquid faciunt remoto;
Quid-

Quidquid in fidam tenui susurro
Conditur aurem:
Visa tu nulli specularis audax;
Victa tu numquam liquido sopore,
Principum nullos verita, aucuparis,
Anxia custos.
Inde per linguas populi recepta,
Inter & terras celeri volatu,
Inter & coelum duplicas tumultus,
Falsa remiscens.
Mox & id numquam meritos tyrannos
Laudibus gestis onerare fictis;
Principes æqua spoliare laude
Ausa merentes.
Per tuas Pauli negat ire voces
Nomen, & magni renuit Nepotis,
Mente coelesti sata, mentiendi
Nescia Pallas.
Quid leui vento decora ampla vitæ
Donet, inscribenda graui metallo?
Digna, quæ numquam metuant edaci
Tempore solui.
Digna, quæ ventura legat nepotum,
Digna, quæ nascens imitetur ætas:
Digna, quæ laudet soboles cadentis
Vltima mundi.
Maxima ò nulli decora inuidenda:
Maxima ò paucis decora æmulanda;
Omnibus grati seges ò honoris,
Laudis & amplæ.
Quà dies primos radios anhelat;

Quà facem lassus pelago retondit,
Concinet fama decora ampliora
Barbara Pallas.
Siue quae chartis melior Pelasgis
Linquere vmbrosos potuit reflexus,
Anchoram cursu breuiore docta
Figere vero.
Litteris olim dare pondus ausus;
Numini gratus populus magistro,
In tuas laudes tibi vertet amplum
Scipio nomen.
Indus extremae quoque cultor actae,
Nomen hoc soeui Druidae loquentur,
Callidi vulgus remouere sacris
Pallados aris.
Principi iunctas Aquilas Draconi;
Omnium queis imperium ferarum
Contulit, seu quadrupedum vetustas,
Siue volucrum.
Burghesij stemma imperij Myronis
Seu tuo fictum Polyclete coelo,
Posteri Pelusisco notatum
Marmore noscent.
Hic ades quisquis, tacitus faueto:
Dum bis octonos Samius magister
Patrui faustos populo Quiritùm
Ponderat annos.
Fausta dum coelo notat alter astra;
Astra, quae numquam meruere mergi,
Astra felici dominata coelo,
Principe Paulo.

Et

Et Magis, audin? etiam aduocatis,
Nullius pulsata manu docetur
Arte non nota lyra, Scipionis
Dicere laudes.

Ad theses de corpore naturali generatim accepto. In laudes Burghesias Enthusiasmus.

ODE II.

FAces cupido pectori
Nuper meo subiecerat,
Natura quidquid abdidit,
Secreta rerum quærere;
Euoluere & primordia
Ex vltimis redordiens,
Primæua mundi semina;
Euenta causis nectere.
Per confragosa montium
Inferre gressus cœperam,
Periculosa callidus
Vitare saxa, lubrici
Ne qua pedes offenderent:
Ducem sequutus inclytum
Quamuis iniquis passibus;
Nulli secundum, vel tibi
Magne Macedo magni decus
Vni

Vni redonantem; priùs
Quem se minorem viderat,
Ab ore docto pendulum.
Quæcumque causis abditis
Mentes tenent mortalium;
Quo fonte deducant suam
Originem, mirarier
Iam nesciebam doctior.
Occulta quæ vis attrahat
Dulcissimo ad finem impetu,
Quodcumque per se nullius
Mouetur impulsum manu:
Quid & quietis nescium,
Quo continemur, spiritum
Torpore, si nos ambiat,
Immobili firmet diu.
Quid sit diurnus, menstruus,
Vel quid sit orbis annuus,
Quid vita sit rerum omnium
Vtcumque longa, sed nimis
Voto breuis mortalium:
Hæc dum recursant intimis
Diu voluta sensibus:
Recens cupido pectori,
Priore depulsa subit.
Hac imperante barbiton
Sumpsi nouasque subdidi
Fides & aptabam lyræ
Platonicis quidquid libris
Mens auida nuper voluerat,
Pulsata sæpè reddidit,

Meque annuente nomina
Solùm chelys Burghesia;
Platonicæ posthac mihi
Longùm valete paginæ:
Valete rerum semina
Sophiæ valete nomina:
Posthac labores nobiles,
Et quidquid e laboribus
Mortalium superbia
Sperat, mihi longùm vale.
Nam barbiton tantùm mihi
Laudes canet Burghesias.

Ad theses de cœlo, & stellis. Aquilæ Burghesiæ Eucharisticon.

ODE III.

INiuriosi carceris abditum
Cæcis tenebris Icarium Patrem,
Fugæ repentinæ periclis
Muniérat feritas tyranni.
Frustra negatum: nam sapientia
Cœli liquenti tentat iter via;
Exosa terras, & volatus
Per vacuum properare docta:
Rerum parentem protinùs increpat,
Nudo quòd alas non homini daret:

Fiducia cor armat acri,
Remigioque humeros volucri.
Mortale corpus librat in aëra,
Mirum quod esset, ponderibus nouis:
Miratus id quicumq, supplex
Addidit hunc numero Deorum:
Quid denegatum sit sapientiæ?
Sudare ludus cui super æthere;
Quæ sœua ventorum supremos
Terga premens moderatur orbes.
Illa illa viui progenies Dei,
Fœcunda recti consilij parens,
Morum imperatrix, & potestas
Numinis, aurea vis honorum.
Cum Patre magno per superùm plagas
Magistra cœli temperat ordinem:
Suosque sancta lege mundo
Astra docet reparare cursus.
Notho superbam lumine Cynthiam
Quà montibus, quà dissecat æquore
Nigrore, mortalique vultu
Induit, aut rabidi leonis.
Solemque cursu præcipiti iubet
Afferre, mox & mergere lumina:
Et orbe defixos in vno
Mercurium, Venerisque flammam
Regi choreas plaudere siderum:
Quamquá hæc recepto lumine deficit.
Deflexa in arcum sæpè, sæpè
Conspicuo sinuata gyro.
Et flexuosis illa recursibus
Mar-

Martis nitorem ſanguineum trahit,
Sæpè abditum terris; Iouiſque
Aſtra ſatellitio coronat.
Hac & remotus luce tricorpori
Ducente, longo permeat ambitu
Saturnus, anni nam fatigant,
Perbreue ſolis iter diurnum
Terræ labores luminibus nouis
Cum luſtrat æther, cum facibus caput
Coronat, aut tædas recentes
Exerit, aut veteres recondit:
Illius ardet non ſine numine,
Quodcumque cœli multiplicat decus;
Seu nuper ortum, ſiue priſcos
Sidus agit radios in vnum.
Quid plura quæram noſcere peruicax,
Si Dedalæis altiùs extuli
Pennis volatum, quo me amicæ
Burgheſiæ volucres ſecundo
Vexere curſu? ſi potes huc age
Depromе laudes muſa benigniùs;
Queis grata ſeros per nepotes
Burgheſios releras honores.
Paulo beauit principe, & auſpice
Pax alma Romam, quo duce Palladis
Proles reduxit primum in aurum,
Iuſtitia comitante, ſæcla.
Premente magnos te patrui gradus
Laudum æmulator Scipio maxime:
Patet iuuentuti Minerua; &
Aethereæ reſerantur arces.

Ante ergo terris sidera luceant:
Aut mōstra cœlum informia territent;
Quàm fama dilabatur imo
Pectore, Burghesiumque nomen.

Ad theses de elementis: Naturæ simulacrum, siue Burghesium stemma.

O D E IV.

TIbi si viuax perculit animum
Gloria in artes, quas Protogenes
Extudit, aut quæ placuere Scopæ,
Nunc in superùm faciem, nunc in
Hominum vultus animare graui
Mortua ferro saxa potenti.
Quantum est artis, quantum ingenij
Et capite sedet, dextraque sedet,
Reuoca; nunc est viribus vsus,
Nunc opus animo; laxosque sinus,
Vdam vestis verrentis humum
Collige nodo; doctasque manus,
Age rumpe moras, indue ferro:
Te Burghesius labor inuitat,
Labor haud alia dignus dextra,
Cœlo impatiens tractari alio.
Tibi iam marmor candida Cyprus,
Et pretiosis Africa ab antris

Ma-

Maculosa tibi saxa recidit:
Vitreosque tibi minuit montes
Longinqui de finibus orbis
Famularis Burghesio Hymettus.
Simulacrum ingens molire manu;
Anima dignum, dignum vita:
Eadem cuius dabit effigiem
Sapiens hominum, rerumque parens
Cedere palmam nimis impatiens,
Arti tantum licuisse neget.
Toto effusam limite mundi.
Mundi matrem cohibere breui
Poterit gyro, fœdere stabili,
Aquilæ iunctus Draco Burghesius;
Illud nam par nobile volucrum
Tenet imperio, spatij quantum
Elementa tenent, semina mundi:
Illa trisuicis horrida flammis,
Medios ignes inter sola est
Nescia, vitæ damna timere,
Sola volatus librare sagax,
Vbi suprema legit in arce
Sedem imperi pendulus ignis:
Seu præcipiti lapsu cœli
Liberius iter verberat alis;
Dominæ aspectum venerata, locum
Illico cedunt agmina volucrum:
Illa superbos glomerans gressus,
Benè permissi conscia regni,
Incedit opum docta suarum.
Madidum cessit maris imperium

So-

Socio, ac terræ nobile regnum:
Illum omne genus quadrupedantum,
Illum omne colit pecus æquoreum;
Qui solus per limen vtrumque, &
Finibus errat solus vtrisque.
Quid nunc adeo dubitas opifex,
Operi primam ponere dextram.
Mundi facilem marmore matrem,
Aut tibi numquam simulare licet:
Aut non alia poteris meliùs
Fingere forma.

Ad theses meteoricas Aquilæ Burghesiæ auerruncati timoris testimonium.

ODE V.

NImius pectora circumsidet horror
Fragili plena animo, cui tremor ossa
Subitus concutit; amens glaciat cui pauor artus:
Inimicus rubuit cum axe cometes
Minitans funera regnis: Rhodopemue
Simul ac deijcit atrox rapido fulmine coelum.
Sceleris nescia mens, nescia viuit
Quo-

Quoq; palloris : & æqui cor amicum
Feriet nil pauidum pernicies vltima mundi.
Auium sic dominam, fulmineique armigeram ignis nihil vrgent, opulenta
Sola terræ iaculantis fragor, aut ætheris ira.
Super & nubila, præter nebulasque,
Volat interrita, ventisque grauatis
Celeri remigio defugit illuc; vbi nullus
Bene concredita arenis animorum
Aquilo sensa fluentis per olympi
Agit æquor, pluuijs tenuia ludibria ventis.
Ego postquam alite Burghesia adiui
Volucri mente notorum loca summa:
Loca postquam pluuiarum, atque domos fulminum acutas
Propiùs despicere ausus, metuendi
Animo principia aspexi; homini quæ
Faciant sanguineum flamma cometem furialem:
Merito summe pater te venerari
Didici cum metu: at è corde timores
Reliquos tu repulisti bona auis Burghesiorum.



Ad

Ad theses de metallis.
auro debellato
Epinicion.

ODE VI.

COelo relicto dic age Pieri;
Quã laudê dignum in sæcula postera
Heroa trades, qui superbum
Diuitijs animum negauit?
Cui sæua numquam lumine rideat
Fortuna blando, & cruda necessitas.
Vnum hoc honoris vult licere,
Pauperiem bene ferre posse:
Semota curis parua cubilia,
Cœnasque laudat sub tenui lare
Sine auro, & ostro; nil inemptis
Funera de dapibus pauentes.
Illi nec atræ solicitudines;
Mentemque turbant somnia tristia:
Non fundus illi, vineæque
Increpuere hyemes iniquas.
Edocta, censu viuere paupere
Laudatur illi vita beatior:
Fallax, auarè percupitas
Damnat opes operosiores.
Non præter æqui currere limites,
Aureisque mentem non dare vinculis.

Ser-

Seruare semper diffluentes
Inter opes animum innocentem;
Hæc laudis amplæ, hæc & decorum seges,
Concessa paucis; quos superis sua
Virtus redonauit, Deoque
Ante alios dedit esse gratos.
Aurum virorum pectora fortium,
Amatque summos vincere principes;
Vulgare dedignatur atrox
Vilibus ex animis trophæum.
Aperta quamquam prælia subdolè
Vitat malarum doctius artium:
Interque mendaces amores
Vincula blanditijs inescat:
Fulgore visus primùm hebetat leui;
Mox & receptum intra penetralia,
Omnem retentat mentis arcem;
Hostibus vnde latus recludat.
Pallore tristem mox simulat metum;
Fugaque velox irreuocabili;
Et se teneri iam propinquum
Proripit è manibus sequentum:
Donec latentes quà posuit dolos,
Ad omne tractos deiiciat nefas:
Idemque luctandi fugaces
Prouocat horribili duello.
Armatus auro vir Macedo æmulos
Reges tremendo subruit impetu:
Frustrata Gallorum tumultus,
Victa ferè cecidit Sabinis

Fu-

Futura terrarum caput anulis
Tarpeia rupes: cui facilem annuat
Victoriam spes læta? quem nea
Aureæ illaqueent catenæ?
Genti relictum Burghesiæ decus;
Cui liberali diuitias manu,
Artemque concessit fruendi,
Qui imperio regit vnus æquo
Diuùmq; turmas atq; hominum genus.
Deuicto ab auro quæ tibi nomina
Imponet orbis, Scipione
Scipio non minor Africano?
Vt cuncta ferrum vi domat insita;
Ferri rigorem viribus abditis
Debellat, & nectit catenas
Herculeus lapis abnuenti:
Ictus ad omnes insuperabilis
Magneta vincit mole adamas minor,
Virtute maior: cedit vltrò
Sic pretio lapis omnis auro.
Virtute quis nunc se tibi conferat
O germen amplum Burghesiæ domus;
E cordium victor tyranno,
Nobilis exuuijs opimis?



Ad

Ad theses de corpore animato. Scipio Card. Burghesius totius naturæ compendium.

ODE VII.

QVæ certis agitat sæcula legibus,
Et cœli nitidos temperat ordines,
Summo æquæua Patri, nobilis artifex
Terrarum sapientia:
Formas in varias ire coëgerat
Rerum informe chaos degenerem patrem,
Et discreta suis omnia sedibus
Dia voce locauerat.
Cœlum condiderat iam sibi regiam,
Terris vnde daret iura volentibus:
Arcemq; imperij mœnibus vndique
Obuallauerat igneis.
Nimirum alitibus fuderat aëra;
Et duplex pecori squammigero mare,
Seu dulces latices, seu ferat asperos:
Et siluæ steterant feris.
Post hæc sanctum animal effigies Dei
Erexit supera in sidera verticem:
Illi namq; opifex particulam optimam
Libatam addidit vndique.
Et sese illa prior largiter indidit,
Con-

Concessitque capax ingenium sui:
Occulto arboribus crescere semine,
Aut vitam exsecuit quoque.
Et quocumque pedes arbitrium ferat,
Mollem ferre gradum nullius indigos.
Et mundum didicit sensibus abdere
Brutis ex animantibus.
Quæ laudant hominum munera singulos,
Vnus fons decorum Scipio contines,
Multo orbis reliquus laudat : at vnico
Romæ est Burghesio satis.

Ad theses de supremis entis rationibus, ad Scipionem Card. Burgh. suorum laborum consecratio.

ODE VIII.

PVrpuræ, Princeps, decus ò Quirinæ
Publicus vatum labor, atq; merces:
Scipio communis amor Latinæ
Vrbis, & orbis.
Hactenus quidquid tulimus laborum,
Quidquid & posthac operum Latina
Pallas imponet, tibi, ni recusas,
Seruiet vni.

VO-


VOTA

Ad Sapientiam diuinam pro felicitate vrbis Romæ anno ſacro ſæculari.

MOderantis aſtra Patris
Generata Diua partu,
Decorumque Diua cenſu
Progenies æqua Patri,
Aurea vis amorum.
Ades ò ſalutis ara,
Ades ò quietis aura.
Tibi nube diſcolori
Atque comas, atque genas
Læta ſerenat Iris.
Sacra quæ decente cultu
Tibi Roma ſoluit aris,
Rea pulcra Roma voti
Viſe benignis oculis,
Auſpicioque firma.
Nihil hac videre maius
Queat vrbe Phœbus vmquam;
Noua iura ponat Indis:
Et veniat Dardania
Sub iuga Nilus infans;
Pater ipſe Rex ſacrorum
Diuturna ſæcla regnet;
Latijque iura Regis
Exoriens, occiduus

Phoe-

Phœbus vterqve adoret;
Colat hæc Iapon acer;
Colat vltimus Niphates;
Tumidoque secta Nereo
 Si qua calet gens propiùs
 Deficiente sole.
Vigor integer beatæ,
Speculumque Diua mentis,
Diadema Vaticanum
 Si capiti commerito
 Imposuisse gaudes:
Moderare iura Romæ,
Rege tu Quirina iura:
Latioque da parenti
 Nestoream canitiem,
 Et facilem senectam.
Honor, & fides, pudorque,
Et amica pax redire
Trepidat, decorqne priscus;
 Et sola terræ properat
 Rursus adire virtus.
Mea vota te Patremque
Facili annuisse vultu
Dea spem bonam reporto:
 Diua velis esse memor
 Assaraci Nepotum.



IN

IN NOVA CARDD. CREATIONE;
Simplicitate animi, & candore morum aditum ad honores aperiri.

QVicumq; blandis aurea coelitum
Delubra mulces vocibus: hoc age:
Caue interim, cordi maligno
Dissideant meliora vota.
Nam Rector astrorú omnipotens; manu
Qui larga honorum præmia diribet,
Nouosque nuper candidatos
Ausonio cumulauit ostro:
Non ille aperto pectoris ostio
Sensus recludi peruelit abditos,
Aut mentis humanæ viarum
Ancipites doleat recessus.
Præcedit illum Simplicitas manu
Gestans niuali sideream facem,
Nigramque mortalis potentem
Ingenij superare noctem.
Dulci nec illum decipiet sono;
Quisquis fatigat sollicita prece:
Idem dolosus, vota numquam
Persoluisse, fide soluta.
Non ante quemquá mactat honoribus;
Quàm flexuosis admoueat facem
Cordis tenebris: concolori
Vtrum

Vtrum animus placeat nitore:
Hunc damnat, & voti immeritum alterum
Absoluit: æquis legibus omnium
Laudes recenset fraudulentis
Non facilis precibus moueri.
Hoc nempè Patres more probabiles
Deus locauit culmine regio:
Et ore, & ingenti ferentes
Vota animo, meritis minora;
Numquam laborum præmia nam Deus
Precum rependit merce parabili:
Vitare fraudes cautus, idemque
Immeritos cohibere fortis.
Ne qnos doloso corde vorauerint
Iniecta honores commaculent manu:
Neu tabido exemplo secuta
Perniciem trahat omnis ætas.
O quantum honoris crescit honoribus
Nuper receptis commerita manu!
Quantum latino crescit ostro
Ingenuis animis petito!

Liberalitatem esse vsum diuitiarum, & mercedem honorum.

AMica quidquid fuderit largè manus,

Non

Non expetito fœnore:
Egentiores iuueris quidquid potens,
  Benignitate nobilis;
Curuas id vnum vitat vngues temporis,
  Fœde atterentis omnia;
Id tu recense, doctus, in bonis tuis
  Prodesse quid sciant opes.
Quod terra cœlat, nullus argento color,
  Ni temperato splendeat
Vsu: erutumque per nouercæ viscera
  Mortalium semel malo;
Neget recondi denuo, nescit frui
  Qui largiter parcit dare.
Auara quid non diripit demum dies?
  Fortuna non semper fauet
Fronte irretorta. læta dum ridet tibi,
  Et diuitem euoluit sinum,
Vtaris; eiusdemq; quod præsens dedit
  Cautus futuri, vindica
Iniurijs: ne versa cum retro iuerit,
  Rerumque vultus alteros,
Vicesq' frustra lacrymatus videris;
  Mutata dicas mens mihi est;
Mutata: sed fortuna cum fugit semel
  Irata, non reuertitur.
Cur inter auri pōdera hæc mens nō fuit?
  Vel illa cur perijt dies?
Fortuna numquam te bonis maioribus
  Augebit immunem, abditis
Inimica gemmis: merce primarum data,
  Nouas opes merebere.

Comes sequetur alteras opes honor,
Nullis repensus mercibus.
Et vltimis audita fama Seribus,
Cruore vix parabilis.
Qui mole certa consili sortis mouet
Mutabilem rotam Deus:
Nec liba poni, aut sacra lectisternia
Amat suis altaribus:
Sed cœca quos fortuna cursu præterit,
Mersos malorum fluctibus;
Hos nempe suadet ille puluinaribus,
Et excipi conuiuijs.
Hoc nempè dedicato ad aras munere
Deo litatur prosperè:
Hoc macte mauis esse libo numina,
Honoribus mactaberis.

Ad Ianum Nicium Erythræum Fortitudine opus esse in vtraque fortuna.

QVos nitere regia
Caput corona cernis, atq; eburneo
Scipione dexteras,
Gregi timendos proprio: beatorum
Emouebit ordine
Felicium censor seuera virtus:
Mobilique diffidens
Vulgo, dolosis dedocebit vti
Vocibus: beatius
Nil esse credet mente seruitutis;
(Seù

(Seù benigna tollere
Seu verticem fortuna cum malignis
Gaudeat reponere
Stridoribus)fugiente laurean, vni,&
Tuta regna deferet ,
Quicumque temperabit insolenti
Acre pectus impetu,
Fauente cœlo: nec secus, timoris
Seruet inter ardua
Immune pectus. vulneret, micante
Miles ense distrahat,
Secetque ferro lancinata membra:
Mole stat grauis sua,
Tenax vt ante iuris, atq; honesti,
Plenus alta pectora
Intaminato fonte gaudiorum:
Iane, de suo gradu
Amica quem fortuna non remouit;
Si vices iniquior
Commutet, & nil tale cōmerentem
Opprimat malis domum:
Acuta non offendet imparatum
Robur ad pericula.
Sed congredi fortuna pertimescit,
Victa si semel fuit,
Non ausa bello prouocare fortes.
Nam petiuit arduo
Fortuna bello, quos beatitate
Vndequaque sospitat.
Felicitate quem non illa perdit
Ter beatus, & magis,

 Ma-

Maior secundis, asperisque maior.

FERDINANDI TERTII
Fortitudo in vtraque fortuna: cum renunciatus fuit rex Romanorum.

IVuenum flos, animosa hostia honoris;
Fauet omnis tibi fortuna merenti.
Meritum qui sed honores satis æquent?
Benè cultus tibi Rector superorum,
Sua largè bona fudit: priùs artem
Dedit idem benè Fernande fruendi
Opibus cœlicolùm, muneribusque.
Populus quæ bona dicit, mala multis
Lacrymarum, ac scelerũ sunt elementa:
Tibi Princeps eadem sunt bona vere:
Animum nam dare tu illis, tenuisti
Catus idem quoque, si res vocat, audax
Inimicæ caput opponere sorti,
Freta per nauifraga, & saxa fragosa, ir-
Requietis rate ventis agitata,
Sapiens portubus obuertere proram.
Litat illa hostia honori; superosque
Vocat haud difficiles in sua vota;
Facilem quam Popa ad aras trahit vltrò
Venientem; nece peius minimá vmbram
Metuendi fugientem: ille meretur
Bona, forti mala qui pectore ferre
Bene scit. sorte tua sic docuisti
Iuuenum flos, animosa hostia honoris.

FRAN-

FRANCISCI BARBERINI Humanitas, cum adſcriptus fuit in numerum Cardinalium.

QVæ patrum, populi quæ cura Quiritum
Per memores titulos
Barberine tuum æternet decus? ò quà
Phœbus vterque diem
Seu condit melior, ſeu promit ab vndis
Idem, aliuſque iubar,
Nobilium iuuenum mitiſſime Princeps,
Vrbis, & orbis amor;
Plebique, & gratus maioribus idem
Fœdere non facili;
Et quod vix vlli conceditur, omni
Altior inuidia.
Non ementitæ quæ ſigna notaui
Publica lætitiæ?
Quos plebes lætata dedit tibi plauſus
Gentis amica tuæ?
Et quæ ſanctorum tibi debita morum,
Neſcia nobilitas,
Alterius rebus gaudere ſecundis
Præmia perſoluit?
Dum patruo magni Romana regenda
Sceptra dedere Patres:
Dum te, purpureo plaudente ſenatu,
Murice commerito
Indutum, Vrbanus ſuccedere ſecum
Præcipit æquum oneri.

Hoc illud; spem non præcurrere fastu, &
Demere plura sibi,
Quæ virtus, & amor, quæ publicus æquis
Arbitrijs dederit:
Magnas inter opes, atq; inter honorum
Fausta, modi memorem
Viuere; magnanimoq; in corde tumori
Posse negare locum.
Sic est. supremo Roma auget honore,
Quos habet ante pares:
Sed numquã dominos dignata superbos
Pectoris imperio,
Dilexisse negat quos sceptra gerentes
Non videt illa pares.
Perge igitur Frãcisce, ac arte Quiritum
Itur in altum animum:
Sic misto maiestas fidit amori
Sic benè conueniunt.

IDEM ARGVMENTVM.

QValis, thuricremis turba precãtium
Merces Assyrias cũ dedit ignibus,
Et delubra secundis
Mulcet fumus odoribus;
Cœlestesque choros, & facilem Deum
Votis supplicibus ponere fulmina,
Castigare dolentem,
Summo prouocat æthere.
Barberine, trahit! sic tua comitas
Reginam populorũ, & dominam vrbiũ,

Iura vrbana volentem, &
Fasces imperij pati.
Non sic excubiæ, non equitum manus,
Quam tutatur amor: nec tenuit diù
Quisquis sceptra grauauit
Maiestate supercili.
Vsu deteritur sæpè seueritas;
Et numquam grauitas callida cedere;
Atque ignara remitti
Debet ludibrium suis.
Misceri populis, inuidiam addidit
Indignatus honor: crimen amabili
Longè pellere virga,
Est, Francisce, decus tuum.

FERDINANDO TERTIO AVSTRIACO honores fugiendos, in petitione Regni Romanorum.


ORbis præsidium, & salus,
Ferdinande domus Austriacæ decus
Argutis honor artibus
Quæsitus, scelerum materies noua,
Prænsantum cupidas manus
Parthorum iaculis mobilior fugit.
Olli non maris arbiter,
Olli non Atalanta ignibus ocyor,
Non Argo, volucrum leues
Cursus docta sequi per liquidú æthera

Elidenda natantibus
Saxis, ni properet: cum semel addidit
Tergo remigium fugax,
Aut cursu, aut rapido præuolet impetu.
Si veriu ia fixeris,
Qua virtus socia cum sapientia
Te concluserit orbita:
Vt versus cohibent aspida Marsici;
Vltrò seminibus malis
Purgatus, laqueis inijciet manus.
Res est ambitiosior,
Fallendiq; honor est pessimus artifex.
Dextras ille sequentium
Eludit: fugientem insequitur malus.
His tu consilijs tuæ
Ferdinande domus multiplicas decus.

Studium Poëticæ
IN VRBANO VIII. PONT. MAX.

FLorida veris vice blandiente,
Gleba se putris zephyro relaxat;
Chloris, hyberna niue dissoluta,
Prata colorat.
Pindari quondam modulata plectro,
Nubium ferri super ausa tractus,
Et per exleges noua dithyrambos
Flectere verba:
Musa si vinclis glacialis anni
Liberum fluxit per amica rura
Flu-

Flumen, & Pindum lauit amne, cana
Mole gementem:
Flore quem terræ tulerunt solutæ
Quis vagos crines vetet impedire?
Quis vetet molles onerare puro
Flore canistros?
Nuper Vrbanus liquidas per auras
Dorico si te reducem sepulcro,
Iussit in voces meliore cantu
Ire Latinas?
Iam tuus Princeps tuus ille regnat;
Cui sacræ quondam placuere laurus:
Ille nunc lauro benè Vaticanum im-
miscuit aurum.
Ergo visurum sacra, queis benignos
Dardanus sanguis Superos adorat:
Iussit vno se patruus minorem
Ire nepotem.
Tuque festiuo potius dierum
Muneris quid musa feres, amica
Eius ad delubra Dei merentem
Auxit honore
Qui domum nuper tibi Barberinam?
Te leues soluent violæ, rosæue:
Floribus lætus iuuenescit annus
In tua vota.



Auguria felicitatis Romanæ sub
INNOCENTIO X. PONT.
MAX. ROMANO.

NOn Hetruſcæ gentis Haruſpex,
Lituo doctus ponere metas,
Et partiri limite cœlum,
Auibusque intra ſepta recluſis,
Dubium rerum dicere fatum, &
Dominos mundi fallere mendax.
Non Hetruſcæ gentis Haruſpex,
Quid fata ferant craſtina, dubius;
Iubeo vanis Romam augurijs
Euenturis fidere rebus.
Te Pamphilio præſide rerum
Quid dare maius ſuperi poſſint!
Nil vlterius Romanus habet,
Quo prece ſupplex aſtra fatiget.
Nitido primi temporis auro
Meliora fluunt aurea ſæcla.
Sic ſeris tam fauſta nepotum
Superi natis dent poſſe frui.
Vnum id ſuperos Roma precare;
Facileſque dabunt: ſic mihi veris
Animum replet Deus, ille Deus,
Qui factus iam mitior vrbi
Ad tua tandem vota, Quirino
Diadema triplex capiti impoſuit.

Se-

Sæculum Barberinum sub VRBANO VIII. PONT. MAX.

Cines Hymetti, gratus Atticæ lepos,
Nectaris artifices,
Bonæque ruris hospitæ.
Gratum fluentis turba prædatrix thymi,
Virgineæ volucres,
Paruæque veris filiæ.
Laboriosis quid iuuat volatibus,
Sollicitas viridem
Perambulare patriam?
Si Barberino delicata Principe
Sæcula melle fluunt,
Parata vobis sæcula?

De Sereniss. Fratrib. à Sabaudia Mauritio S.R.E. Cardinali, & Thoma Princ. Cariniani.

QVem destinarit religio semel
Sacris ad aras muneribus virum;
Non ille mucrones cruentos,
Non quatiat violentus hastam.
Quem bellicosis vouerit artibus
Aetate prima Martius impetus;
Hic fulminantem tollat ensem;
Aera comis metuenda cingat.
Sat ille magnus pacis honoribus,
Et doctus artes spargere ciuicas,
Imponit æqua lance iura,

Et populos cohibet volentes:
Depræliantum murmur, & æreus
Clangor tubarum suscitat alterum,
Per vasta terrarum, per vndas,
Bella feris agitare turmis.
Non ille regnis incubat exteris,
Fines paternos legibus obtinens:
Calcare montes hunc niuales
Cogit auarities honoris.
Dum sœua Thomas prælia conserit,
Tu vaticanæ gloria curiæ
Par laude, Mauriti, Quirina
Sacra foues, placidosque ritus.
Vterque proles regia, Carolum
Patrem probauit. fulminat Alpibus
Hic Marte victor: purpurantes
Pacis amans alit hic honores.

Filio ad bellum eunti Matris querelæ.

AGe, quæ cupido regni,
Laudisque fama posteræ,
Iubet ire per rigentes
Niuibus coactis aggeres?
Noua regna quid iuuabit
Frœnis domare bellicis:
Bona si leuis iuuentæ
Teris inter arma tristia?
Non vlla digna merces
Fusum rependet sanguinem;

Licet hoſtici cruoris
Sitim cruentus leniat;
Saturetque morte ſeſe
Ferus enſis hic rebellium:
Eſt illa parua merces
Cruore parta gentium:
Et cæde nata laurus
Diris coronat frondibus.
Potes hic togatus almæ
Agitare pacis otia;
Libitina donec ornet
Fugienda nulli funera.
Satis ampla & hic quietæ
Meſſis feretur gloriæ.

SOLARIVM FRANC. COLVMNAE Principis Præneſtinorum

In gratiam Bartholomei Boldi; cum ſuas ei philoſophicas theſes inſcripſiſſet, apposito emblemate: idest, ſolario, cui columna faciebat gnomonem eiaculantem umbras in ſimulacra virtutum, debitis ſpatijs, atque ordine diſpoſita: quale narrat Plinius lib. 30. cap. 10. poſitum ab Auguſto in Campo Martio.

Pietas, Affabilitas, Eloquentia, Matheſis, Iuſtitia;

Horæ Principis Matutinæ.

IAm diu cœlo ſpatiata victrix,
Coeca nox clauſit latebris, decori

Quid

Quidquid, aurora redeunte, Phœbus
Luce colorat.
Phoſphore vmbrarum prius Heſperugo,
Redde iam mundo, malè quem fugarat
Luminis patrem, maleſuada noctis
Vela reſigna.
Si tuos olim radios tenebræ,
Languor, & ſomnus pede preſſit acri;
Quidquid & partu peperit nefando
Terra malorum.
Surge iam terris melior, ſequetur
Victor ex vndis inimicus vmbris
Phœbus, & mundo decus addet, addet
Rebus honores.
Iam Columnenſis pietas ſerenam
Haurit è Phœbo meliore lucem:
Lucifer currus cohibe ſupernæ
Lucis ad ictus.
Illa quid mortale moretur aſtrum?
Quæ Deum cœlo potis euocare,
Sat ſuis viuax opibus, morarum i-
Gnara ſuperbit?
Fontibus puris animus benigni
Principis quantum biberit nitoris:
Axe mirari tibi mox licebit
Pleniùs aureo.
Cum ſalutantum vomet æquor ædes:
Vnde nequidquam voluere quondam
Regium nomen, dubij Quirites
Poſcere ſortes.
Illa non tantùm populis frequentes
Por-

Porticus vmquam stupuit, secunda
Perditis quamquam dare gloriata
Omina rebus.

Nunc Columnensi benè culta regi
Gentium quantum recipit; parentes
Vnde spem certam, referuntq; paruis
Gaudia natis.

Namque non vanis animum clientis
Vocibus ludit; dubioue sensu
Dissidet cordi malè blandienti
Lingua susurro.

Largiùs posthac niueam explicabit
Luminis pompam, solio receptus
Iura cum nullis temeranda sæclis
Adferet aequus.

Auctor hinc recti Eunomia, adsidebit,
Lancibus iustis onerata dextram;
Alteram partem Charis occupabit,
Obses amoris.

Musa quid iustum celerare tempus
Peruicax tantùm trepidas? quieto
Siste priuatim priùs ille debet
Multa labori.

Siue res mutas animare, voce
Dulcior mentem pepulit voluntas:
Siue sermonem velit arctiorem
Frangere in artem;

Seu breui terras radio coërcet,
Aut polum supra gradiatur audax;
Siue metitur numero carentis
Pondus arenæ.

SA-

Horæ Principis Meridianæ.

SI ſemper tua Numina,
Ventorum pater, è ſedibus vltimis
Neptunus timet excitus:
Et Iuno nebulis preſſa nigrantibus,
Et ſol carcere nubium
Obſeſſus radios, ſuppliciter colit:
Si pulſata ſonantibus
Arens terra tibi ſupplicat imbribus;
Si quicumque ferocium
Fratrũ, ſeu Boreas, ſeu Notus imbrifer,
Audax flatibus Adriam
Debellare ſuis, aut Aquilo impotens;
Quo non arbiter acrior
Inſurgens equitat per mare Creticũ:
Si nullus renuit iugum;
Quin quantùm valeat ſentiat Aeolus;
Et pœnas doleat ſuas
Obſcuri tenebris carceris abditus;
Cui molem pater omnium,
Monteſq; impoſuit deſuper arduos:
Vmbris dum breuioribus,
Adductaq; ſiti, ſol medio leuem
Somnum ſuadet ab æthere,
Bellaces animas comprime vinculis;
Ne dum prælia conſerunt
Et replet grauibus cuncta tumultibus,
Turbent otia Principis.
Clauſa nēpe domu, quà vacat arbitro
Aedes

Aedes omnibus inuia,
Aestiuo fugiens solis ab impetu
Permisit requiem sibi.
In somnos oculi protinus occidunt:
Ast illi in penetralibus
Secretis animus pectoris excubat:
Percurrit vagus æthera,
Lunæ quiq; globum proximus excipit
Ignem exurere nescium,
Humanis oculis heù nimis arduum:
Quid ventos faciat leues,
Quid tantùm nebulis asperet aëra;
Seu quid nubila dissecet,
In flammam subitis pulsa fragoribus;
Quid nubes pluuijs grauet,
Qua primum Oceanus manet origine;
Queis è fontibus Adriam
Cursu præcipiti flumina verberent.
Nec fines super innatet,
Ardet mox animus quærere perspicax.
Sed sensus tibi mollia
O quãtum vigiles optime Principum
Inter suscitat otia
Gentis cura tuæ, dum nimium caues,
Ne detur querimonijs,
Aut desiderijs ansa leuissima:
Ne vulgus lene charitas
Auctor dilaniet pessima criminum;
Aut omnis vitij parens
Frangat luxuries pectora viuida;

Illi adlaborent dulciorem
Auribus, atque animo saporem.
Hac lege, rursum ne rubeat Venus
Arctis mariti territa vinculis:
Neu Troico rursum labore
Prouocet in lacrymas Vlyssem.
Non & Triones, non Hyadas graues,
Non dicat alter nubila sidera
Tardi Bootæ; iuniorem
Quæ docuit venerandus Atlas.
Conuiuij sed tollite laudibus
Dignis sodales, queis epulas sine
Inire numquam, siue solus,
Siue alijs comitatus heros
Audebit. o 1. proxima purpuram
Frangit bibendi non leuis arbitra;
Quæ recta dicat per volentes
Iura dapes, epulasque frœnet,
Omnem illa luxum protinus excutit
Cogitque duram sœua licentiam
Mordere frœna, exosa sordes
Cogit auaritiam exulare.
Vicina gemmis discubuit super,
Ridente vultu, larga benignitas,
Vocare secum commerentes
Ad dominas epulas amicos:
Sic ille lætas non ineat dapes;
Ni secum amicus plurimus accubet;
Cui plenum Amaltheæ supinet
Delitijs opibusq; cornu:
Curas iocando quæ tenuat graues,
Iu-

Iubetque mentem pondera ponere,
Et tempori seruire leges,
Pone sedet meliore vultu.
O quàm soluto difficile est modum
Seruare ludo? tu leuibus neque,
Francisce, te permittis, omnis
Exulat & grauitas morosa.
Somnum reducunt sic facilem ioci:
Dormisse qualem fert Agamemnona
Grauis vetustas, dum decenni
Frangeret obsidione Teucros.

LVDOVICI XIII. iusti Regis Galliarum victoria de Rupella Hæreticorum rebellium asylo.

QValis resecto corpore firmior
Lernæus anguis creuit in Herculé,
Vallatus intortis colubris,
Sternere iam solitum Dracones,
Experta talem est Gallia belluam,
Quæ nuper aris Numina depulit,
Ferre impias enisa leges,
Et veteres abolere ritus.
Dum tu tremendo non minor Hercule
Terra, marique interritus obsides
Arcem impiæ sectæ rebellem,
Iuste decus Ludouice Regum.
Ferocientis dum resecas caput
Hydræ, triumphis nobilior tuis:
Repullulat sat victa numquam
Vul-

Vulnere fertilior cruento:
Quietis ignara Anglia protinus
Naues obarmat subsidium feroxa?
Ergo cadenti non sit vna
Gallia bellipotens ruinæ?
Ornanda classis, quæ colubrum fero
Repullulantem sanguine comprimat,
Succede nauali triumpho,
Præteritis animose miles.
Infesta quamuis tartara sæuiant,
Totamq; ab imis sedibus impiam
Plutonis vmbrarum cohortem
Tysiphone ad sua signa cogat:
Nil est timendum. scilicet æthere
Demissa, iurat iungere copias
Cum; Rege Gallo militares
Religio, pietasque victrix.
Rupella iam non amplius abnues
Superba collum sub iuga mittere
Pacata posthac Galliarum
Iura dabis, Ludouice regnis.
Lutetiam dum Sequana perluet,
Flexoq; curret in mare flumine:
Dum Galliam alpes terminabunt;
Nomen, honorque tuus manebit.



Ma-

Marij Farnesij egregij militum ducis mortem multis nationibus esse flebilem.

QVid nuper Marium flebilibus modis
Raptum Roma doles? quem iubet ignea
Virtus, morte sequestra,
Potu nectareo frui,
Sit desiderio denique, sit modus
Non vni caput hoc flebile concidit,
Quem luxistis Iberi,
Non aliàs facilè parem.
Immitique dolet Gallia funere,
Nec diuersa genus Gallia Belgica:
Quæ primordia belli
Vidit Belgia nobilis.
Vestimenta nigris Pannonis aurea
Mutauit, teneris non sine lacrymis,
Quæ confinibus hostes
Detrusit Mario duce.
Et reddent meritis debita præmia;
Non illum fragilis, sors hominum premet:
Nec quæ corpora seruat
Famam conteget vrnula.
Ibit Pieridum carmine nobilis;
Quà Phœbus nitidis ducit equis diem,
Curru vecta nitenti
Lustrabit maria, & solum.

Ad Musas, & Poëtas Protrepticon, vt canant laudes domus PAMPHILIORVM.

RVpis Aoniæ cohors,
Quæque flumina sacra
Vngulæ alipedis bibis:
Huc ades grege toto,
Omnium simul agmine
Concinente sororum:
Posthac Pamphiliæ domus
Aureum cane sæclum.
Huc vatum chorus, huc ades
Agmen omne canentum:
Deque fonte Heliconio,
Deque munere nostro
Sobrie chorus ebrius
Primis accine musis.
Posthac Pamphiliæ domus
Aureum cane sæclum.
Qui lyra tenerum canis,
Spiculisque potentem
Cypriæ puerum Deæ
Vina quique iocosa,
Viribusque potentibus
Additos homines Deis:
Posthac Pamphiliæ domus
Aureum cane sæclum.
Tuque maxime Virgili,
O Homere latine

Seu

Seu pastoritia placet
Voce dicere carmen
Siue prælia concinis
Tibia grauiori:
Posthac Pamphiliæ domus
Aureum cane sæclum.
Tuque Callimachi æmulus
Siste perdita flere
Fortunæ bona pessimæ:
Semper ah tibi amaros
Acribus querimonijs
Flere desine amores:
Posthac Pamphiliæ domus
Aureum cane sæclum.
Tu Vari pede regio
Alta pulpita verris,
Qui vices canis horridas
Regum sceptra ferentum
Pone iam lacrymis modum
Et suspiria pone.
Posthac Pamphiliæ domus
Aureum cane sæclum.

Finis partis tertiæ.

